# MONUMENTA HISTORICA

## UNIVERSITATIS

## CAROLO-FERDINANDEAE

## PRAGENSIS.

---

TOMUS II.

1

# ALBUM SEU MATRICULA
## FACULTATIS JURIDICAE
# UNIVERSITATIS PRAGENSIS

ab anno Christi 1372. usque ad annum 1418.

E

## *CODICE MEMBRANACEO*

ILLIUS AETATIS

nunc primum luce donatum, plenoque nominum indice auctum.

---

# CODEX DIPLOMATICUS
## UNIVERSITATIS EJUSDEM

*originem, incrementa, privilegia, jura, beneficia, aliaque fata, tum prospera, tum adversa illustrans;*

*cui item personarum rerumque index, atque tabulae lithographicae sigillorum quorundam notatu digniorum imagines exhibentes subnectuntur.*

PARS I.

PRAGAE,
TYPIS JOAN. SPURNY.
1834.

# PIIS MANIBUS

**REVERENDISSIMI AC CELSISSIMI**

**PRINCIPIS**

# ALOYSII JOSEPHI
# COMITIS KRAKOWSKY
# DE KOLOWRAT,
# L. B. AB UGEZD,

**DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS, SEDIS APOSTOLICAE PER INCLYTUM REGNUM BOHEMIAE, NEC NON PER CELEBERRIMAS BAMBERGENSEM, MISNENSEM ET RATISBONENSEM DIOECESES LEGATI NATI, INCLYTI REGNI BOHEMIAE PRIMATIS, S. S. C. R. A. MAJESTATIS CONSILIARII INTIMI, SS. THEOLOGIAE DOCTORIS, EXIMIAE FACULTATIS THEOLOGICAE SENIORIS, ALMAE ET ANTIQUISSIMAE C. R. CAROLO-FERDINANDEAE UNIVERSITATIS PRAGENSIS CANCELLARII PERPETUI, STUDIORUM PROTECTORIS,**

**HUJUSQUE OPERIS CONTINUATI FAUTORIS BENIGNI**

HUNC MONUMENTORUM HISTORICORUM TOMUM SECUNDUM

*D. D. D.*

FACULTAS PHILOSOPHICA
UNIV. PRAG.

# Praefatio.

Quod veritatis historicae amor, carae patriae dilectio, et almae universitatis nostrae studium bonis avibus suscepit, industria constans liberalitate comite eo promovit, ut monumentorum historicorum academiae nostrae tomi secundi primam partem jam publici fecerit juris.

Grato potissimum celebramus animo munificam reverendissimi ac celsissimi principis archiepiscopi Pragensis Aloysii Josephi comitis Krakowsky de Kolowrat

conatus nostri approbationem, qua tomi hujus sibi grate consentienti dicandi editionem die 4. m. Januarii a. 1833. benigno praesidio adjuvit. Fatis vero, quod sane dolendum, die 28. m. Martii e. a. concedens ordinem philosophicum publica gratae pietatis significatione, qua vivens gauderet, orbavit. Qui praeterea huic incepto sumtibus prospexerunt, in tomi hujus fine recensebuntur.

Continet autem haec prior tomi secundi pars antiquissimum juridici ordinis album magna ex parte levi manu conscribillatum, aevoque obsoletum, omnium proinde ejus temporis chirographorum lectu sane difficillimum, atque adeo opera nostra haud dubie dignissimum, utpote quod universitatis juristarum rectores (siquidem decretorum legumque doctores et studiosi tunc peculiarem universitatem efficere sibi visi sunt) ejusque sodales do-

centes, doctos atque discentes ab ao. 1372. usque ad a. 1418. exhibet, quorum plurimi, aut in artium facultate jam antea clari, aut in historiae patriae paginis celebrati, tanquam vetuli notique amici, grate nobis occurrunt. Accedunt notae statum oeconomicum attinentes, et in fine etiam vita functos ad annum usque 1390. consignatos legimus, spatii termino plures notare vetante. Ut vero ad singulos accessus pateat commodior, nomenclaturam, ut in tomo priori, cunctorum, quotquot in hoc albo occurrunt, virorum alphabetice digestam adjecimus, antiquo facultatis artium albo jam insertis asterisco notatis. Quantum inde luminis viris scientia claris, quantum certitudinis rebus in scientiarum et artium palaestra gestis, sacris atque profanis, accedat, quilibet prudens et aequus hujus thesauri in lucem prolati arbiter nobiscum aeque profitebitur,

ac plures rerum Bohemicarum scrutatores jam publice professi sunt.

Hanc juridicae facultatis matriculam pvimaevam sequitur universitatis nostrae codex diplomaticus literarum monumenta complectens, quibus studii generalis Pragae non solum origo, incrementa, jura, privilegia, beneficia et alia fata secunda et sinistra exponuntur, sed et aetatis illius, et virorum in ea partem habentium ingenium, actionumque fontes ac fines radiis illustrantur, quibus omnis alia rei literariae repraesentatio historica careat necesse est. Materias hujus codicis in duas sectiones dispescere placuit, quarum prior scripta authentica in universitatis tabulario adservata, altera tabulas aliis e grammatophylaciis depromtas et in unum collectas complectitur. His quoque index nominum rerumque indaginem reddens faciliorum in altera hujus tomi parte adjungetur.

Ceterum eandem orthographiae legem sumus secuti, quam in tomo primo servavimus, et cujus rationes ibidem in praefatione aperuimus. Hae tabulae publicae, quarum plurimae e literis authenticis, pauca e fide dignis exemplaribus religiose transsumtae sunt, praecipua status universitatis momenta ab origine prima revelant, et ita revelant, ut arbitrariis, in rebus academiae nostrae exponendis, uti commentis, Caroli nostri, cujus beneficiis omne in aevum grata patria nostra gloriabitur, factorum, rerumque Bohemicarum detractoribus in posterum integrum non sit.

Operam itaque nostram in his chirographis non solum e tabulariorum, sed et scripturae lectu perdifficilis claustro protrahendis, eruderandis, atque coaevis posterisque in usum aeque commodum ac certum offerendis collocatam omnino su-

pervacaneam non censebunt, qui prima rei gestae repraesentatione minime acquiescentes rerum fontes testiumque fidem perquirunt.

Pragae 1834.

# Matricula

## Universitatis Pragensis graduatorum

### *Rectoris Juristarum.*

Ista quatuor folia sumta sunt pro matricula graduatorum etc. Hic nullus intituletur, nisi det unam sexagenam universitati.

In primo isto folio intitulentur solum doctores, in sequentibus vero tribus baccalarii.

**D**ominus Paulus de Janowicz. D. Mathias de Muthina (?). D. Cunsso de Trzyebowel. D. Joannes Jectar. d. unam sexag. D. Wilhelmus, decanus Hamburgensis. D. Bohuslaus, plebanus in Wiestonicz. D. Joannes Andreae de Sderaz. D. Willdericus de Mitra. D. Joannes, episcopus Glotarensis, hic doctoratus. D. Joannes de Jerzen, licentiatus in decretis. D. Petrus Knol, licentiatus in decretis. D. Mathias, plebanus in Sramnyk, doctor decretorum. D. Henricus de Angeren, mag. in artibus et bacca-

larius in decretis. Hic licentiatus d. 1 sexagenam. D. Nicolaus Puchnik, licentiatus in decretis d. unam sexagenam.

Anno Domini 1383. nobilis dns. Georgius de Hohenloch, canonicus Herbipolensis, rector universitatis Pragensis canonistarum intitulavit hos sequentes: Dns. Joannes de Noet, hic licentiatus d. unam sexag. D. Hermannus de Insula, doctor decretorum et scholasticus Missnensis, de consensu consiliariorum nihil dedit.

*Per me vice-rectorem*

Anno Domini 1384. honorabilis vir, dns. Nicolaus Geunheri de Praga, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit: D. Joannes de Kolnhusen, scholasticus Onelspacensis ecclesiae, hic licentiatus in decretis. d. 1 sexag. D. Adam de Nesetycz, hic licentiatus d. 1 sex.

Ulricus Medek de Shelemberg, canonicus Pragensis et rector juristarum studii Pragensis sub anno Domini 1385. intitulavit infra scriptos: Joannes de Nohet, hic licentiatus et doctoratus.

(Idem jam sequenti modo repetitur.)

Anno Domini 1385. Ulricus Medek de Schellenbergh, canonicus Pragensis et rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit: Joannem de Noet, hic licentiatum et doctoratum sub honor. doctoribus: dno. Kunsone cu-

stode et canonico ecclesiae Pragensis, nec non dno. Bohuslao ordinarie legente, canonico Olmuczensi in ecclesia Pragensi, mensis Maji die 23.

Anno Domini 1386. honorabilis vir dns. Mathias Küle, praepositus Priswalkcensis, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos. Primo intitulavit dnm. Henricum Wasmodi de Rodenberg, plebanum ecclesiae s. Wyperti Erfordensis, Maguntinae dioecesis. d. unam sexag. Dnm. Gherhardum Radnic de Grünighen, (*in libro Decanorum facult. philos. Groening*) mag. in artibus et hic licentiatum. dedit sexagen. Dnm. Seghehardum alias dictum Syardum, presbyterum de Lywardia, dioecesis Trajectensis, partium Frisiae, pro licentiatura d. sexag.

Anno Domini 1387. nobilis vir dns. Smylo de Wiczow, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Dns. Gherardus Radnic de Groninghen, doctor decretorum d. 1 sexag. D. Joannes de domo Theutunica, licenciatus in decretis d. 1 sex. D. Fridericus Schauart de Treueris, licentiatus in decretis d. 1 sex. D. Joannes de domo Theotunica, canonicus Pomezanyensis ecclesiae, doctor decretorum d. 1 sexagenam. D. Joannes de Pomuk, doctor decretorum, canonicus ecclesiae s. Aegidii, nihil dedit ex dispensatione.

Item D. Bartholomaeus, plebanus in Broda Bohemicali, licentiatus in jure, promisit 1 sexagenam. (*Hic alia manu infra serius adscriptus est.*)

Anno Domini 1389. nobilis vir dns. Jaroslaus, canonicus ecclesiae Pragensis, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra (*scriptos*): Dnus. Adam de Nezetycz, Olom. ac Brunensis ecclesiarum canonicus, decretorum doctor. d. 1 sexag.

Anno Domini 1390. nobilis et honorabilis vir Dns. Nicolaus Erghemes de Liuonia, baccalarius in decretis et artibus mag. rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Hermannus Roze, scholasticus Wydenburgensis, Osnaburgensis dioecesis, licentiatus. d. 1. sex. Joannes Kbel, doctor decretorum, plebanus in Kbel, promisit, honoratus propter merita ejus.

Anno Domini 1393. dns. Jodocus Hecht, rector universitatis juristarum studii Pragensis, intitulavit dnm. Georgium Bora, licentiatum in decretis; promisit dare unam sexag. et est sibi indultum.

Anno Domini 1394. Joannes Czeghemyd de Sundis, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit doctores infra scriptos: Dns.

Henricus de Angheren, mag. in artibus hic doctoratus. d. 1 sexag.

Anno Domini 1395. Czenko de Labun rector universitatis juristarum studii Pragensis: Mag. Nicolaus licentiatus d. 1 sexag.

Anno Domini 1396. Lucas Hezler de Legnicz, rector juristarum studii Pragensis, intitulavit infra scriptos: Dns. Nicolaus Clyczik, canonicus regularis ecclesiae Brandenburgensis. d. 1 sexag. licentiatus. Dns. mag. Stanislaus de Scarbimiria, canonicus Premsslyensis, Scarbimiriensis, et rector ecclesiae parochialis s. Petri in Scarbimiria, in licentia d. 1 sexag. in doctoratu fuit honoratus. Dns. Georgius de Bora, decretorum doctor de doctoratu promisit universitati 1 sexagenam. Solvit. Sub dno. Petro Custodi ecclesiae s. Mariae majoris Glogouiensis, ut infra.

Anno Domini 1397. honorabilis vir dns. Petrus Slewyng, custos ecclesiae s. Mariae majoris Glogouiensis, rector juristarum studii Pragensis intitulavit: Primo dns. Georgius de Bora, decretorum doctor, dedit, ut supra, 1. sexag. Mag. Nicolaus Wigandi, decretorum doctor, de doctoratu promisit universitati dare unam sexagenam. Dns. doctor Jarislaus promotus extra studium universitatis nostrae sub anno Domini, ut supra, intitu-

latus 1 sex. promisit dare in festo Galli. Dedit partem debiti (?). Dns. Joannes Weylburg licentiatus, protonotarius majoris civitatis Pragensis d. 1 sexag. sub. d. Nicolao Gewneri rectore. D. Henricus Crowlo, licentiatus hic promotus d. 1 sexag. gr. D. Michael Bleyde, thesaurarius Stethinensis, et canonicus Caminensis, licentiatus in decretis, hic promotus d. 1 sex. gr. sub. d. N. Gewneri. D. Joannes, doctor hic promotus, honoratus per universitatem nihil dedit, Weylburg etc. sub d. N. Gewneri. D. Michael Bleyde, doctor hic promotus d. 1 sexag. gr. sub dno. Nicolao Gewneri, qui fuit rector duobus annis ord. scil. anno Domini 1398. et 1399.

Anno Domini 1400. honorabilis vir Dns. Stephanus de Manycz, Olomucens. et Brunnensis ecclesiarum canonicus, intitulavit infra scriptos, rector universitatis studii Pragensis dominorum canonistarum: Mag. Stephanus Mladota de Cziersko, licenciatus hic promotus. d. 1 sexag.

Anno Domini 1401. honorabilis vir dns. Nicolaus Gewneri intitulavit infra scriptos: Dns. Thomas de Pijesczano, licentiatus hic promotus. d. 1 sexag.

Anno Domini 1402. honorabilis vir dns. Hewko de Konyad, plebanus in Strosberg et vicarius ecclesiae, rector universitatis canonistarum studii

Pragensis intitulavit infra scriptos: Dns. Joannes Naso de Praga, doctor utriusque juris. d. 1 sex. Item dns. Thomas de Pijsczano doctor decretorum, promisit.

Anno Domini 1404. honorabilis vir dominus Joannes Pauli, archidiaconus Lundensis et canonicus Roskildens. rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Dns. Cunczo de Smola, licentiatus in decretis d. 1 sex. Dns. Simon de Nymburga licent. in decretis d. 1 sex. gr.

Anno Domini 1407 (6). honorabilis vir dns. Andreas Gerichini de Kalundeborgh Lundens. nec non Roskildensis ecclesiarum canonicus, rector canonistarum studii Pragensis intitulavit: Dnm. Cunssonem de Zwola decretorum doctorem, qui fuit honoratus propter merita sua.

Ao. Domini, quo supra, intitulavit mag. Albicum, doctorem decretorum Padwanum. d. 1 sexag. gross.

Anno Domini 1407. honorabilis vir dns. Mathias de Glowoczaw, plebanus in Olsna, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Honorabilem virum dnm. Wenceslaum de Olomucz licentiatum in decretis, protonotarium serenissimi principis et dni. dni. Wenceslai Romani regis semper angusti et Boemiae regis,

archidiaconum Bechinens. in ecclesia Pragensi, ejusdemque ecclesiae Pragensis et Olomucens. ecclesiarum canonicum. d. 1 sex.

Item dnm. Emericum de Strigonio dictum Cicz, licentiatum in decretis. promisit 1 sexag.

Item anno Domini 1410 (8). honorabilis vir dns. Ulricus, praepositus ecclesiae s. Apollinaris, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Honorabilem virum dnm. Petrum Stephani de Strigonio, et promisit dare unam sexag. gross. cum ad pinguiorem fortunam pervenerit Domino còncedente.

Anno Domini 1410. honorabilis vir dns. Mathias, plebanus de magna Czinger....

Anno Domini 1412. Henricus Roll, plebanus in Nissa, et in Luthomiericz ecclesiarum canonicus, intitulavit infra scriptos: Honorabilem virum dnm. Nicolaum Gulczow de Hamburg, Bremens. dioeces. licentiatum in decretis. d. 1 sex. gr. Honorabilem virum dnm. Adam de Bychor, plebanum in Ledyncz, licentiatum in decretis. d. 1 sexag. gr.

## Hic baccalarii intitulentur.

---

Primus magister Thordo. (de Suecia, factus 1361. cum aliis 5. *serius additum.*) Hermannus de Lubyk. Nicolaus de Glogouia. Fridericus Lode. Mag. Jacobus Aristoteles (creatus bacc. 1361. cum aliis viginti *ser. add.*) Ludolphus. Mag. Petrus de Luna. solv. Mathias de Crayst. Mag. Nicolaus Haylgenbayl. Conradus de Bracklys. Mag. Hermannus. Remboldus de Novomagio. Laurentius de Brega. solv. Mag. Nicolaus de Cracouia. Henningus Rode. Nicolaus de Offenborgh, canonicus in Carodo. Horum supra scriptorum ordo editur talis, donec adveniat probatio magis certa.

Anno Domini 1377. dns. Joannes Slepekow, plebanus in antiqua Trepetaw, rector universitatis juristarum intitulavit subscriptos: Joannes Colenhûsen. Joannes Kozogeyd. Mag. Rynsso de Maloticz. Henricus de Stvolenka. Wygandus Seligenstat. Ulricus Rodenuelt. Henricus de Mynden. Berengarius de Yn.

Anno Domini 1378. dns. Henricus de Stvolenca, baccalarius in decretis, rector universitatis juristarum intitulavit subscriptos: Mag. Wasmodus de Hamburg.

Anno Domini 1379. anno secundo regiminis jam dicti rectoris intitulati sunt per eundem subscripti: Joannes de Noet. Theodoricus Nycolai de Hildemhsem v. Hildemhsein. Mag. Rulmannus de Confluencia, baccalarius Bononiensis receptus. Mag. Thomas de Praga. 1 sexag. d. Jacobus de Dolano. Gotfridus, canonicus Aquens. Joannes dictus juvenis. Dns. Joannes de Essen, baccalarius, nec non mag. in artibus montis Pessolani.

Henricus de Angern, mag. in artibus Parisiensis et baccalarius in decretis est intitulatus per honorabilem virum dnm. Nicolaum Geunheri de Praga sub anno Domini 1381. rectorem, receptus secundum statutum.

Mag. Vitus, canonicus praebendatus ecclesiae s. Aegidii in Praga, baccalarius in decretis, anno immediate supra scripto promotus, et per me Nicolaum Geunheri pro tunc rectorem intitulatus. dedit 1. sexag. gr.

Anno Domini 1382. Carolus Haguini, archidiaconus Upsalens. de regno Sweciae, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Primo dnm. Hermannum, scholasticum Bilweldens. d. 1 sexag. et 6 gross. pro sigillo. Dns. Heningus de Bernhaghen, canonicus Stettynens. in ecclesia beatae Virginis, dedit dimidiam sexagenam et 6 gross. pro sigillo.

Item dns. Ludovicus de Arnstet, mag. in artibus, dedit dimidiam sexagenam.

Item dns. Laurentius Bucholt de Gripeswalt d. dimid. sexag. et.. gross. pro sigillo. Dns. Joan. de Dulmen, canonicus Aboens. mag. artium, et baccalarius in decretis Parisiens. hic receptus. d. dimid. sexag., quam universitas intuitu laborum suorum sibi remisit.

Item dns. Philippus Hermanni de Brunna baccalarius hic promotus d. dimid. sexag. et sex grossos pro sigillo universitatis.

Item dns. Gotfridus Krempe Lubicens. dioec. cui universitas remisit mediam sexagenam, et etiam sex gross. debitos pro sigillo, quod notarius fuerat universitatis.

Anno Domini 1383. sub regimine nobilis dni. dni. Georgii de Hohenloch: Hermannus Purkenner, cujus (*sic*) remissa est media sexagena pro universitate. Henricus Rotinberg. d. 1 sexag. hic promotus. Adam, mag. artium, de Morauia. d. 1 sexag. et debet praeferri praecedenti Henrico. Hic promotus. Henricus Siwoldi, canonicus in Gotha. 1 sexag. hic promotus. Mag. Berser Salaw d. 1 sexag. hic promotus. Ludovicus de Dresden, hic promotus. 1 sexag. Dns. Wenceslaus de Olomucz. 1 sexag. Dns. Joannes de Libczg. 1 sexag. 6 gr. pro sigillo. Dns Wernerus Pachmar. 1 sexag. 6 gr. pro sigillo. Dns. Gheiselerus Dobberkaw. 1 sexag. 6 gr. pro sigillo.

*per me vicerectorem*

*per me rectorem*

Anno Domini 1384. honorabilis vir dns. Nicolaus Geunheri de Praga, rector universitatis juristarum studii Pragensis. Mag. Hennyghus Klukow. d. 1 sexag. gr. Henricus Stichger de Bonna. d. 1 sex. 6 gr. pro sig. Nicolaus Michaelis de Taczaw. d. 1 sex. Joannes de Lewis, canonicus Leodyens. hic promotus d. 1 sexag. Mag. Gerardus de Gronynghen. d. 1 sex. Henricus Miles de Erphordia, promotus hic, 1 sexag. 6 gross. pro sig. Albertus de Pilzna. 6 gross. pro sig. 1 sexag. gr. Marquardus Langhe de Lûbic. 1 sexag. gr. Seghardus alibi dictus Hardus Besselini de Liwardia. d. 1 sexag. et 6 gross. pro sigillo. Joannes Menycorbe de Liwonia. d. 1 sexag.

Anno Domini 1385. nobilis vir dns. Ulricus Medek de Schellemberg, rector universitatis juristarum intitulavit infra scriptos: Primus Joannes *nota* Saxo tunc consiliarius. d. 1 sexag. Petrus in Sderaz. d. 1 sex. Marcus de Brunna. d. 1 sex. Petrus Phûcziger de Herbipoli (?) d. 1 sex. Fridericus Schauart Treverens. 1 sex. Mag. Nicolaus de Cracouia. d. 1 sex. gr. Joannes Woynchuzen. promisit. Joannes Ysenhart de Salcza. d. 1 sex. gr. Albertus Koppricz. d. 1 sex. Thomas alias Dodo de Lywardia. d. 1 sex. Theodoricus Langelebe de Ysenach. 1 sex. Berengerus. 1 sex. 6 gross. pro sigillo.

Anno Domini 1386. honorabilis vir dns. Mathias Kule, praepositus Priswalksens. rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Frater Joannes Rymanni, ordinis beatae Mariae de domo theothunica, canonicus Pomezaniens. ecclesiae. d. 1 sexag. Henricus Heilsberk alias Wychardi de Voghelsang, rector ecclesiae parochialis in Santop. d. 1 sexag. Wilhelmus de Cesweyn. d. mediam sexag. Hanko de Budweyz, canonicus Wissegradens. d. 1 sex. VI. Joannes Sculteti de Schuslerdorph. d. 1 sex. VI. Hermannus Rose, scholasticus Wydenburgens. d. 1 sex. VI. Joannes ad Aquam. d. 1 sex. Henricus Langhor, baccalarius in decretis. d. 1 sexag. Henricus Ottersam de Yserenlon. d. 1 sex. VI. Nicolaus Erghemes d. 1 sex. VI. Bartoldus Schutte de Steewijt. d. mediam. sex. Mathias Schonenberg. d. med. sex. Bertholdus Burckardi de Ysenach. d. med. sex. Eghardus de Grisheym. d. med. sex. Georgius de Gewiczka. d. 1 sexag. Petrus Gniker. d. 1 sexag. Mag. Nicolaus Borchmann de scto. Goare (sic) d. 1 sexag. et ex negligentia stat hic notatus, sed deberet stare supra ante Henricum Langhor, quod ante eum processit. Borchardus Rybe. d. 1 sexag.

Anno Domini 1387. nobilis vir dns. Smylo de Wyczow rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos. Henricus de Stendal dictus Rugheman. d. 1 sex. VI. gr.

Eghardus de Hauenze, canonicus ecclesiae Hildensenens. d. 1 sexag. Nicolaus Redekendorp. d. 1 sexag. Joannes Lůden de Liuonia. d. 1 sex. VI. gr. Wybrandus de Staurea. d. 1 sex. VI. gr. Henricus de Obirghym. d. 1 sex. VI. gr. Conradus de Moringe, canonicus ecclesiae s. Pauli Halberstadens. d. 1 sex. VI. gr. Joannes Byndop de Malthyn. (*Vyndop de Malchyn* ?) d. 1 sexag. Joannes Crassowe, alias Crassow Anthonii. d. 1 sex. Gerardus Bůcholt. d. 1 sex. Joannes Storch de Czwyckaw. d. 1 sex. Joannes Vrsfelt. d. 1 sex. Mag. Conradus Helye de Basilia. d. 1 sex. Ghysebertus Hamelberch de Trajecto. d. 1 sex. VI. gr. Jacobus Joannis de Trajecto. d. 1 sex. Georgius de Bora, nil dedit ex dispensatione. Bertolldus de Schermbergh. d. 1 sex. VI. gr. Ludwikus Weyswek de Newenburg. d. 1 sex. VI. gr. Rudolfus Warman Buxtehudens. d. 1 sex. Rudolfus de Plawnicz. VI. gr. d. 1 sex. Joannes Stokeleyt. VI. gr. d. 1 sex. Jacobus Oem de Rostok. d. 1 sex. Albertus de Emeda. (?) VI. gr. d. 1 sex.

Anno nativitatis Domini 1388. honorabilis vir dns. Nicolaus Gevnheri de Praga, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Hermannus de Jassa. d. 1 sexag. gross. Procopius Wrochna de Kotulino. d. 1 sex. Smylo de Wyczow honoratus per universitatem nihil dedit. Henricus de Welde d. 1

sex. VI. gr. pro sigillo. Joannes Bracļis de Hamelen. d. 1 sex. VI. gr. pro sig. Tydericus Reen de Stetyn. d. 1 sexag. Joannes Kingswerder de Kubitu. d. 1 sexag. Conradus Strobeke de Halberstad. d. 1 sex. VI. gr. Heynricus Hwber de scto Gallo. d. 1 sex. Ditmarus de Hartenberg. d. 1 sex. Ludwicus de Hartenberg. d. 1 sex. Hermannus de Münden. d. 1 sex. Matthaeus de Olomucz nihil dedit, quia permissum est ei. Mag. Gerlacus Morre de Campis. d. 1 sex. Joannes de Zalczpurga. d. 1 sex. Cristanus de Zalczpurga. d. 1 sex. Teodricus Bueren de Mulhauzen, promotus in Vyenna, hic receptus, nihil dedit, quia pauper.

Anno Domini 1389. nobilis vir dominus Jaroslaus de Porzyessyn, canonicus ecclesiae Pragensis, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit baccalarios infra scriptos, quorum primus fuit: Dns. Bertoldus Bunynt de Grunynghe. d. 1 sex. Item de sigillo universitatis n. dedit VI. gross. quia honoratus est. Dns. Dethlews Bucwolt de Holsacia d. 1 sexag. et VI. gross. pro sigillo. Joannes Crolow de Stolp. d. 1 sex. Bertoldus de Haskenhusen d. 1 sex. Mag. Albicus de Morauia. d. Mag. Tammo de Querwort. d. Mag. Hunoldus Bokeneborde (?) de Gheseke. d. 1 sexag. Joannes Wyngasse de Wratislawia, canonicus Lubucens. d. 1 sex. Jacobus Hartmann de Frysinga, baccalarius in

artibus. d. 1 sex. Joan. de Soltis, baccal. in decretis. d. 1 sex. gr. Nicolaus Vordis de Stadis. d. 1 sex. et 6 gr. p. s. Nicolaus Hagni can. Lundens. d. 1 sex. Joannes Melczer. d. mediam sexag. Ulricus Fundan. d. med. sex. et 6 gross. Mag. Petrus Mundrichingen. d. 1 sex. Marquardus de Warsten. d. 1 sex. Conradus de Friddeberg. d. 1 sex. Petrus Lewtlini de Lanczhûta d. 1 sex. et 6 gr. p. s. Henricus Cumpestelle. d. 1 sex. Hilbrandus de Coldiny d. 1 sex.

Anno nativitatis Domini 1390. honorabilis vir dns. Nicolaus Erghemes de Liuonia, in decretis baccalarius, et artium magister, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos baccalarios: Adam Teucher Biberern. d. 1. sex. et 6 Prag. gr. Mag. Conradus Kekelouen de Geis. (*Geismaria?*) 1. sex. Dns. Joan. Haynczelman de Lanchûta, capellanus dni. Frederici de Bauaria. d. sex. gr. 26 gr. Wilhelmus de Here. d. sex. 1. 26 gr.

Anno Domini 1391. honorabilis vir dns. Cristanus Aroldishusen, plebanus in Friberg, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit baccalarius infra scriptos: Mag. Stanislaus de Scarbimiria, canonicus Scarbimiriensis. d. 1 sex. gr. Joannes Wilborg de Praga. d. 1 sex. Joannes Ambundii de Swan. d. 1 sex.

Anno Domini 1392. Petrus Capplerii de Sulewicz, praepositus ecclesiae s. Crucis Wratislauiensis, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit baccalarios infra scriptos: Mag. Joannes Vriczen *) de Stetyn. d. 1 sex. Conradus Swebil, plebanus in Furstenwald, Lubuczensis dioeces. d. mediam sexag. Henricus de Slakenwerd. d. 1 sex. et praedictus Henr. est dioec. Pragens. Dns. Donaldus Abbas Neurenbergens. dedit mediam sexag. cum 6 gr. pro litera.

Anno Domini 1393. Jodocus Hecht de Rossicz, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit baccalarios infra scriptos: Mag. Nicolaus Lowenberg. dedit 1 sexag. Mag. Joannes Vyghe de Nouomagio. d. 1 sex.

Anno Domini 1394. Joannes Czeghevryd de Sundis, vicerector universitatis studii Pragens. juristarum intitulavit baccalarios infra scriptos: Joannes de Weghener. d. 1 sex. et 6 gross. pro litera.

Anno Domini 1394. Joannes Czegheuryd de Sundis, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit baccalarios infra scriptos: Joannem Schorlubbe, canonicum s. Sebastiani in Magdeborg, qui d. 1 sexag. Nicolaum Klyczyk, ca-

*) In codice fac. artium: Briczen.

nonicum regularem ecclesiae Brandenburgensis, qui d. 1 sex.

Anno Domini 1395. Czenko de Labun, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Mag. Nicolaus Danczk. d. 1 sexag. Fr. Joannes Hopfgarte, crucifer ordinis s. Joannis Mag. dioeces. d. 1 sexag. Joannes Kemerer de Tangermundis. d. 1 sexag. Mag. Nicolaus Cacabus. d. 1 sex. Engelbertus Blankensteyn de Ryga. d. med. sex. Hermannus Gustrower. (?) d. med. sexag. Mag. Stephanus Mladotha de Czirsko, pauper.

Anno Domini 1396. Lucas Hezler de Legnicz, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos baccalarios: Joannem de Caplicz. promisit dare 30. gross. Mag. Joannes Cralowicz. d. 1 sexag. gr. Mag. Paulus Wladimiri. d. 1 sexag. gr. Henricus de Troule. d. 1 sex. Jacobus Estas de Costelicz. d. 1 sex. Nicolaus Frowin de Zanda. d. 1 sex. Nicolaus de Jassona, canonicus Wladislauiensis ecclesiae. d. 1 sex. Joannes Puerorum de Legnicz, honoratus cum media sexag.

Anno Domini 1397. honorabilis vir dns. Petrus Slewyng subscriptos intitulavit baccalarios: Mag. Henricus Berlyn. d. 1 sex. Joannes Brenner de Wormedyt. 1 sex. d. Mag. Petrus Konepruss. d. 1 sex. gr.

Anno Domini 1398. honorabilis vir dns. Nicolaus Gewnheri sacrosanctae Wissegradensis ecclesiae scholasticus, nullo medio ad Romanam ecclesiam pertinentis, quae nullius dioecesis esse dinoscitur (sic), rector universitatis canonistarum studii Pragensis, intitulavit subsequentes: Laurentius de Gorstow. d. mediam sexag. gr. Theodoricus Olsen. d. med. sexag. Joannes Goltbeke de Arnswaldis. d. 1 sex. Hennynghus Poddyn. d. mediam sex.

Anno Domini 1399. honorabilis vir dns. Nicolaus Gewnheri, sacrosanctae Wyssegradensis ecclesiae scholasticus, Boleslauiensis ac Melnicensis ecclesiarum canonicus, rector universitatis canonistarum studii Pragensis intitulavit subsequentes: Thomas de Pyesczano d. 1 sex. Frater Mstislaus de Insula. d. 1 sex. Michael Blide, Tezaurarius ecclesiae Stetinensis, et canonicus ecclesiae Camenens. baccalarius in decretis. d. 1 sex. Joannes Constantini. d. 1 sex. Cunczo de Smola. d. 1 sex. Jacobus Petri (?) de Horby, canonicus Lundens. d. 1 sex.

Anno Domini 1400. honorabilis vir dns. Stephanus de Manycz, Olomucens. et Brunnens. ecclesiarum canonicus, rector universitatis canonistarum studii Pragensis intitulavit subsequentes baccalarios: Joannes de Waldis, baccalarius hujus studii, dedit pro candelis XX libras cerae uni-

versitati. Stephanus Moir de Osschacz. d. 1 sex. Nicolaus de Libenstat, plebanus de Boreuth. d. 1 sex. Mag. Ludovicus Joannis de Wida. d. 1 sex. Mag. Petrus de Kulmnach. d. 1 sex. Simon, plebanus de Sempticz. d. 1 sex. Tidricus Samstelewin de Halwerstath. d. 1 sex.

Honorabilis vir dns. Nicolaus Genheri, rector, intitulavit infra scriptos: Daniel Atenstede. d. 1 sexag. Mag. Wenceslaus de Melnik. d. 1 sex. gr. Mag. Lambertus Vrysmet de Stargardia. d. 1 sex. gr. Florianus de Wanzyrow. d. mediam sexag. Joannes Quast de Golnow. d. 1 sex. gr. bohemicalium. Joannes Belen de Paderborne. d. 1 sex. gr.

Anno Domini 1402. honorabilis vir dns. Hoyke (*supra* Hewko) de Konyad, plebanus in Strasberg, vicarius perpetuus ecclesiae Warmens. rector universitatis canonistarum studii Pragensis intitulavit subsequentes baccalarios: Conradus Abbenborch de Luneborch. d. 1 sex. Nicolaus de Praga. d. 1 sex. Nicolaus Meynhardi de Marienburg 1 sex.

Anno Domini 1403. honorabilis vir dns. Nicolaus Geunheri divina miseratione sacrosanctae Vissegradensis ecclesiae decanus nullo medio ad Romanam ecclesiam pertinentis, et nullius dioecesis esse dinoscitur (sic), rector universitatis canonistarum studii Pragensis intitulavit subsequentes: Dns. Hermannus de Yasmunde. d. 1 sex. Mag. Bernardus de Thovya. d. 1 sex. Wulfardus Ysermenger de Danczk. d. 1 sex.

Anno Domini 1404. honorabilis vir dns. Joannes Pauli, archidiaconus Lundens. et canonicus Roskildens. rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Theodoricus Semmelbecker de Luneborch. d. 1 sex. Gotfridus Bazedow de Luneborch. d. 1 sex. Nicolaus Krancz de Sundis d. 1 sex. Emericus de Strigonia. d. 1 sex.

Anno Domini 1405. honorabilis vir dns. Bernardus Bulowe, decanus Tarbacens. rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Dnm. Joann. Dürmit (?) de Lubras, baccalarium, qui dedit 1 sexagenam. Item idem sex. gross. pro litera testimoniali. Dnm. Ditmarum Horn de Kolbergh, baccal. qui dedit 1 sexag. Dnm. Hermannum de Hamme, baccal. qui d. mediam sexag. Idem dedit VI gross. pro lit. testimoniali. Mgrum. Joannem Somer de Liuonia, qui d. mediam sexag. post receptum gradum baccalariatus.

Anno Domini 1406. honorabilis vir dominus Andreas Gerechini (*supra* Gerichini 1407.) Roskildens. et Lundens. ecclesiarum canonicus, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Dnm. Petrum de Strigonio. d. 1 sex. Dnm. Detleuum Wangelkow de Gripeswaldis. d. med. sexag. Dnm. Krzeslaum de Slawětino. d. 1 sex.

Anno Domini 1407. honorabilis vir dominus Mathias de Glowaczaw, plebanus in Oelsna, rector

universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit baccalarios infra scriptos: Georgium de Nampslawia, qui d. 1 sexag. Nicolaum Gulczow de Hamburg. d. 1 sex. Mag. Joannem Jessenicz. d. 1 sex. Dm. Andream Gerechini Roskildens. et Lundens. ecclesiarum canonicum. d. 1 sex. Engelbertum Wusterwicz de Brandburg. d. 1 sex.

Anno Domini 1408. venerabilis vir dns. Ulricus, praepositus ecclesiae sancti Apollinaris Pragensis etc. rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit baccalarios infra scriptos: Dns. Fridericus dictus Prenner (?). d. 30 gross. Mag. Petrus de Dansk. d. 1 sex. David Langeruelt de Danczk. d. 30 gr. Joannes Swedler de Paczkaw. d. 30 gr. Nicolaus Advocati de Bernstat. d. 30 gr. Henricus de Rowen, canonicus ecclesiae ss. Petri et Pauli Magdeburgens. d. 30 gr. Adam de Bychor. d. 30 gr. Fynwidus, plebanus de Tyngerwalda. d. 20 gr. promisit 10 gr. Nicolaus de Eglauia. tenetur totum.

Anno sequenti sub rectoratu ejusdem: Adam de Piryz d. 30 gr. Nicolaus Wenk de Nyssa. d. 30 gr.

Anno Domini 1410. Matthias, plebanus in mano (*supra* magna) Czinger intitulavit infra scriptos baccalarios: Mag. Simon Nicolai in promotione d. 1 sexag. Heningus Settegrape, canonicus ecclesiae Soldniens. d. 30 gr.

Anno Domini 1411. Henricus Rolle, plebanus in Gorlycz, rector universitatis canonistarum studii Pragensis intitulavit baccalarios infra scriptos: Dnm. Jacobum Gorvin de Cussalin. d. 1 sex. Dnm. Nicolaum Joannis Hungarum de Strigonio, canonicum ecclesiae Collocens. d. 30 gr. Dnm. Manussium plebanum in Wodyerad. d. 1 sex. Dnm. Sigismundum de Brunna, rectorem altaris s. Mariae Magdalenae ibidem ecclesiae s. Jacobi. 1 sex.

Anno Domini 1413. honorabilis vir Mathias Rost, canonicus ecclesiae Pragensis, rector universitatis canonistarum studii Pragensis baccalarios in decretis intitulavit infra scriptos, et primo se ipsum, quia tempore sui regiminis est promotus eodem anno.

Mag. Jacobus de Kralowycz. d. 1 sex.

Anno Domini 1414. honorabilis vir Mathias Rost, canonicus ecclesiae Pragensis, rector universitatis canonistarum studii Pragensis baccalarios in decretis intitulavit infra scriptos: Mag. Martinus de Zaczz. 30 gr. d.

Anno Domini 1415. honorabilis vir mag. Arnestus de Metelsko, canonicus Wissegradens. et s. Apollinaris Pragens. ecclesiarum, rector universitatis canonistarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Joannes Zul, compensavit pro debito, quod fisco dare debuit, videlicet 30 gross.

pro debito, unam sexagenam cum uno floreno pro suo sallario, quod sibi universitas pro laboribus notariatus tenebatur; et hujusmodi compensatum praefatus dns. rector et consiliarii tunc praesentes, ac ipse Joannes Zul ratum et gratum habuerunt.

Anno Domini 1416. honorabilis vir Dns. Ulricus, praepositus s. Apollinaris Pragensis, rector universitatis canonistarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Honorabilis vir mag. Vitus Zyren, canonicus ecclesiae Wyssegradensis, dedit 30 gr.

Ad perpetuam rei memoriam est sciendum, quod de anno Domini 1373. circa festum Philippi et Jacobi seren. et invictissimus princeps et dns. dns. Carolus IV. divina favente clementia Romanorum imperator, et Boemiae rex illustrissimus, ad instantiam et procurationem dominorum, Jo. praepositi in Granzoge, tunc rectoris, et Wilhelmi, decani Hamburgensis, decretorum doctoris ordinarie decretales pro tunc legentis, quandam domum sitam in media civitate Pragensi apud ecclesiam s. Jacobi in angulo juxta domum Francisci Nûemburgeri, civis Pragensis, pro centum et quinquaginta sexagenis a Pesselino, Camerlingho suo, comparavit, et universitati juristarum dedit et assignavit, quam praedictus dns. Wilhelmus doctor de beneplacito dicti dni. imperatoris intravit et inhabitavit.

Item praefatus dns. Joannes rector eodem anno regiminis sui quatuor candelas solemnes, unum pannum sericum, et subtus pannum linteum pro exequiis studentium in jure canonico et civili solemniter peragendis comparavit.

Item archam communem cum tribus clavibus pro pecuniis et rebus dictae universitatis conservandis etiam comparavit.

Item statuta quaedam de consilio et consensu XVI consiliariorum, ad hoc per totam universitatem electorum et deputatorum, concepit et correxit, sed non publicavit, quae successor suus publicare et expedire procuret etc.

Sub anno Domini 1378. in die ascensionis Domini honorabilis vir dns. Joannes Slepekow computavit cum consiliariis, et decenter separatus est de eis, et procuravit anno sui regiminis duodecim candelas cereas pro exequiis decedentium in eadem universitate, et duas candelas mediocres pro communione infirmantium in universitate eadem, et picturam ordinavit ad utrasque portas, cum hoc vicum lapideum, quo exitur per valvam, et procuravit majus sigillum universitatis.

Anno Domini 1378. honorabilis vir dns. Henricus de Stwolenka, baccalarius in decretis, per medium annum vicerector subrogatus a dno. Joanne Slepekow fuit, in alio vero medio anno rector ab universitate erat electus, qui et anno immediate sequenti iterum in rectorem concorditer, nullo contradicente, ex permissione statuti, quo cavetur, quod propter merita personae vel utilitatem universitatis licite pro secundo anno potest, qui et fuit in rectorem electus, eligatur.

Ad perpetuam rei memoriam est sciendum, quod anno Domini 1383. circa finem mensis Martii honorabilis vir Carolus Haquini, archidiaconus Upsalens. de regno Sweciae, tunc rector universitatis juristarum studii Pragensis de consensu et consilio consiliariorum suorum aedificari fecit novas scholas in curia universitatis praedictae pro decreto et lectionibus extraordinariis; et circa scolas illas sub eodem tecto parari fecit unam

cameram cum scamnis, cancellis, hostio et sera, quam cameram de consilio et consensu, quorum supra, deputavit pro communi auditorio universitatis, ut ibi rector, qui pro tempore fuerit, cum suis consiliariis habeat consilia, judicia, electiones tam novi rectoris, quam ordinarie legentium, ac computationes mensium singulorum, ad quam cameram rector, qui pro tempore fuerit, clavem faciat observari. Et hanc cameram ideo fieri fecit, quod rectores annis praeteritis fuerant propter carentiam talis loci in suis tractatibus plurimum impediti.

Nota. Cuilibet nationi attribuitur hujus registri seu matricae unus quinternus, quo repleto dissolvatur, et novi imponantur.

Anno Domini 1375. dominica die post festum exaltationis s. Crucis a reverendo viro dno. Cūnssone, decretorum doctore, Henricus Bretinbach, de Rodinberg gradu baccalariatus est insignitus, sub dno. Joanne comite de Hoenloch, rectore universitatis.

Item anno Domini 1376. die dominica ante festum conceptionis s. Mariae virginis a reverendo viro dno. Cunssone de Trzibowel decretorum doctore, Remboldus de Nouimagio, clericus Coloniensis dioeces. gradu baccalariatus in decretis publice in scolis juristarum est insignitus, tempore rectoratus dni. Gerlaci de Horst, rectoris tunc universitatis juristarum.

## Natio Bohemorum.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem 1372. in festo s. Georgii de beneplacito dni. nostri imperatoris facta specialis est universitas juristarum in studio Pragensi; et congregatis dnis. doctoribus, baccalariis, singulisque studentibus juris canonici elegerunt in rectorem suum nobilem honorabilemque virum dm. Joannem Comitem de Pernsteyn, qui subsequentes ad universitatem antedictam assumsit, et huic registro novo inscripsit: Nicolaus Fridrici de Slakinwerd. d. Dns. Sezema de Usk. d. 7 gr.—Petrus de Seraz d. 7 gr. Mathias informator eorundem. 4 gr. Joannes, plebanus in Jectar, (hodie doctor decretorum *serius add.*) 2 gr. Stephanus Stephani de Praga. 7 gr. Wenceslaus Stephani. d. 7 gr. Procopius Slareyk. 3 gr. Joannes de Citauia. 2 gr. Thomas, plebanus s. Michaelis. 2 gr. Petrus, altarista s. Agnetis apud s. Aegidium. 2 gr. Petrus, altarista s. Brunonis in ead. eccl. 3 gr. Bohuslaus de Sderaz. (hodie doctor decretorum *ser. add.*) 2 gr. Petrus Olaus de Bregha. 2 gr. Benesius, canonicus omnium SS. Pragae. 2 gr. Horcho de Cossicz. 2 gr. Janko, plebanus de Blizcouicz (nunc in Czaslawicz. *ser. add.*) 7 gr. Tobias de Sborotin. 2 gr. Joannes, plebanus in Grecz. 4 gr. Teodoricus, plebanus antiquae et novae civitatis,

Ratisbonens. dioeces. 2 gr. Petrus Alberti de Praga. 7 gr. Joannes fr. Praemonstratens. plebanus in Mylewsk. 7 gr. Wenceslaus, canonicus Wissegradens. plebanus in Elav. 7 gr. Bohuncko. 2 gr. Wenceslaus de Calua. 2 gr. Petrus Petri de Usk. 7 gr. Joannes de Hospitali. 2 gr. Joannes, altarista in laeta curia. 2 gr. Stanislaus de Panonia 2 gr. Ulricus Tultiger. Ludovicus Coiata. 2 gr. Mathias de Straho. 8 gr.

Anno, quo supra, die 12°. mensis Decembris recedente dno. rectore antedicto ad patriam electus est in vicerectorem Gerhardus dictus Visbeke, mag. in artibus, oriundus de Osenbrughe, qui sequentes ad universitatem assumsit: Hinco de Cluczow, plebanus in Mssen (hodie decanus ecclesiae Pragensis. *ser. add.*) d. 7 gr. Nicolaus de Ungaria. 2 gr. Jeklinus, altarista Olom. 3 gr. Wenceslaus, capellanus Olom. 4 gr. Joannes, plebanus in Burchberk. 7 gr. Nicolaus, plebanus de Affrica. 7 gr.

Sub annorum Domini 1373tio a festo beati Georgii Joannes, praepositus Granzoy (*supra* Granzoge) de Saxonia, tunc rector inscripsit matricae infra notatos: Primo frater Jacobus deelegrado (*Wellehradio in Moravia*) ordinis cysterciensis. 7 gr. Dns. Joan. Ulricus de Noua-domo cum Dno. Francisco magistro suo. 14 gr. Dns. Valentinus Pragens. dioeces. 3 gr. Dns. Franciscus cum socio suo. 7 gr. dictus Jesko, plebano

de Rudoltz. 7 gr. Mag. Petrus. 7 gr. Wenceslaus, canonicus Brůnnensis. 4 gr. Dns. Thomas, plebanus de Hanebach. 7 gr. Franciscus de Praga. 4 gr. Hieronymus, canon. s. Georgii. 4 gr. Henr. canon. Lytomyric. 7 gr. sed t. 3 gr. bedellus promisit. Mathias de Vicegradu. 7 gr. Stynborius de Smyliko. 7 gr. Wenceslaus, altarista in Budewicz. 6 gr. Dns. Joannes de Friberg. 3 gr. Dns. Henr. de Stzwolencka (hodie baccalarius in decretis *ser. add.*) 7 gr. Wenceslaus de Biczania. 7 gr.

Pertholdus de Waehingen, mag. in artibus, rector universitatis juristarum anno Domini 1374. intitulavit subscriptos: Item Joannes de Korozluk (hodie bacc. *s. a.*) 7 gr. Item Joan. presbyter de Steras. t. 7. gr. Item Jacobus de Lütemüschel. 7 gr. Item Joan. plebanus s. Castuli. 7 gr. Item Nicolaus de Růdnicz. 4 gr. Item mag. Rinczscho, hodie baccal. in decretis. 3 gr. Item mag. Jacobus. hodie bacc. in decretis. 2 gr.

Dns. Joannes Comes de Hohenloch, canonicus Pabenbergensis, rector universitatis juristarum anno Domini 1375. intitulavit subsequentes: Dns. Nicolaus, Canonicus Collocensis de Vngaria. 4 gr. Item dns. Jacobus, canonicus Chremsirensis. 4 gr. Item Joannes natus Petri de Juuene Boleslauia 7 gr.

Eglolffus Hornbech, vicerector intitulavit subsequentes: Dns. Joannes Lachmanny de Ponte. 10 gr. Mag. Joannes de Elbingo. Nicolaus de Lon. 7 gr. Andreas de Gewiczka. 7 gr Dns.

Wenceslaus Viedehost. 7 gr. Joannes de Altomuta. 7 gr. Thomas de Praga. dedit 7 gr. Joannes, plebanus de Morauia. 7 gr. Ulricus de Le san, alias in Selnberg. 14 gr. Albertus dictus Kro. dedit 14 gr. Jacobus de Budwicz, notarius. d. 10 gr. Petrus Georgii de Septem-castris. 13 gr. Dns. Tilmannus, plebanus de villa Humperti. 13 gr. Dns. Leo, plebanus de Magno-Horreo. 18 gr. Item Dns. Bartholomaeus, rector parochialis ecclesiae ante laetam curiam. d. 14 gr.

Anno Domini 1376. Dns. Gorlacus Horst de Stargardia, rector universitatis juristarum intitulavit subsequentes: Mag. Jaroslaus, protonotarius dni. imperatoris, receptus gratis ad honorem et promotionem universitatis, nihil dedit. Mag. Thomas de Praga. 10 d. gross. Mag. Laurentius, plebanus s. Laurentii. 10 gr. Mag. Meynhardus Rokczener. 9 gr. Mag. dictus Bonczo. 10 gr. Mag. Hrabissyus de Holohlaw. 10 gr. Dns. Wenceslaus, plebanus ecclesiae in Nemeczowes. d. 13 gr. Dns. Dionysius, archidiaconus Jauriensis 16 gr. et 4 t.... Dns. Andreas, canonicus ecclesiae Colocensis. Florenum.... Dns. Marquardus de Gyekew. 13 gr. Dns. Sygardus, plebanus de Pretey (*? forsan Prentenberg*) d. 13 gr. Jheroslaus (*Jaroslaus*) de Slatina pauper. d. 4 gr. Gregorius de Bodedebra, nihil dedit quia pauper. Mag. Petrus de Znoyma. 10 gr.

Anno Domini 1377. dns. Joannes Slepekow, plebanus in antiqua Trepetow, rector universitatis

inscripsit infra notatos: Cosmas de Yseria. d. 10 gr. Wenceslaus de Nova-domo. d. 13 gr. Jacobus de Morauisano, plebanus de Morauiczano. d. 8 gr. Nicolaus de Breberio, nepos comitis de Breberio. d. 13 gr. Dns. Petrus, plebanus de Zeczhorn. d. 5 gr. Dns. Petrus, canonicus Cremsirensis d. 13 gr. et Petrus de Wysschaw, servitor ejusdem. d. 13 gr. Hanko, bacc. in artibus, de Budweys. d. 10 gr. Nicolaus Rotonis. d. 13 gr. Smilo Smilonis de Zielkouicz. d. 13 gr. Andreas de Letyn, baccal. in artibus. d. 10 gr. Dns. Przybiko de Porzessyn. 15 gr. Mag. Fridericus de Glaconia. 10 gr. Jacobus Joannis de Jagerndorp. d. 13 gr. Petrus Sethiech (?). d 13. Dns. Wenceslaus de Genczensteyn, filius dni. Pauli, nepos archiepiscopi, ac frater episcopi Mysenensis. Wlframus filius dni. Wlframi Burgrauii Wysegradensis, nepos praedicti Wenceslai. Wilhelmus, filius Napote, baccal. in artibus. Joannes Martini de Trewebelycz. Isti simul dederunt 40 gr. Nicolaus de Buda, Hungarus. 13 gr. Wensyslaus Joannis. 10 gr. Item Joannes Hermanni de Gesseticz. nihil d. Item dns. Odolenus Bonczo, praepositus s. Aegidii; gratis est intitulatus ob reuerentiam sui. Item Petrus de Nabietrzye. nihil d. Item Duchonio Adae de Conczano. d. 13 gr. Joannes plebanus ecclesiae in Dyeczin. d. 10 gr. Dns. Jacobus de Pabgenicz. nihil d. quia universitas ob honorem official. ei remisit. Georgius plebanus de Alzend 13 gr.

Anno Domini 1378. dns. Henricus de Stwolenka, baccal. in decretis, rector universitatis juristarum inscripsit infra notatos, ut patet infra: Marcus de Brunna. 14 gr. d. Joannes de Gyermericz. nihil d. Joannes de Knyn. Sdyslaus, plebanus de Conracz. 5 gr. d. Joannes de Hnyewczowes. 14 gr. Henricus Drslai de Lessonycz. nihil dedit. Nobilis vir dns. Joannes Jaroslai de Stermberg Joannes, paedagogus ipsius, isti ambo simul dd. 26 gr. Philippus de Brunnis. d. 14 gr. Augustinus de Trutenau, princeps pp. Wenceslaus Petri de Radnicz. d. 10 gr. Wenceslaus Pauli de Reychenstot. d. 14. gr. Henricus de Kladna. 14 gr. d. Leo, baccal. in artibus, de Zwolenyewess. 10 gr. Maynusius. 14 gr. Jacobus de Czeduno. 14 gr. Franciscus de Nouacivitate. d. 14 gr. Joannes de villa Eponis (?) pp. Joannes Jacobi Saxonis de Praga. 14 gr. d. Henricus Jacobi Saxonis de Praga. 14 gr. d. Joannes de Vst super Albia. 14 gr. d. Nicolaus de Praga Stephani. pp. Petrus, presbyter de Lyssa. pp. Petrus de Lukowa. pp. Dns. Victor, canon. Melnicens. 1 flor. 1 gr. Otiko, plebanus de Bitess. 14 Gr. Michael de Praga. 14 gr. D. Nicolaus Friderici de Praga. 14 gr. Blasias de Gredis d. 14 gr.

Anno Domini 1379. honorabilis vir dns. Henricus de Stwolenka, baccal. in decretis secundo anno sui regiminis intitulavit subsequentes: Bartoldus, archidiaconus Trinzciniens. in ecclesia Nitrim. (*sic*)

14 gr. Nicolaus Wenceslai Gauner de Praga. 24 gr. Petrus de Praga, baccal. in artibus. 14 gr. Mag. Adam, plebanus in Ostromet (?) 14 gr. Habardus de Hoholicz. pp. Smylo de Wyczow. d. 14 gr. Przybico (?) de Zwolenawess. pp. Theodoricus, procurator consistorii, gratis ad honorem et promotionem universitatis. Wenceslaus, canonicus regularis. 14 gr. Andreas Friderici de Germiczi. paup. Martinus Andreae de Suchdol. paup. Bartholomaeus de Tynecz Joannis. d. 14 gr. Andreas de Znoyma. pp. Dns. Otto, plebanus in Micolouicz Olomicens. dioeces. d. unum florenum.

Anno Domini 1380. honorabilis vir, dns. Nicolaus de Kossczol, Wladislauiensis nec non Wratislauiensis ecclesiarum cathedralium canonicus, rector universitatis juristarum intitulavit subscriptos.

Et nota, quod anno, quo supra, sabbato post Urbani papae, quae fuit dies 26. mensis Maji honorabilis vir dns. Nicolaus, Vladislauiensis et Wratislauiensis ecclesiarum cathedralium canonicus, rector universitatis juristarum studii Pragensis substituit me Joannem Saxo de Zirberch, plebanum in Ebs in vicerectorem universitatis praefatae, de mandato cujus sequentes intitulavi: Nicolaus dictus Scrani de Montibus - Cottnis. 14 gr.

Item Nicolaus natus Wenceslai dicti Gauner de Praga, vicerector anni suprascripti, intitulauit Wenceslaum de Czekczicz, pro tunc vicarium s. Mariae ante Laetam - curiam. 14 gr. d. Item inti-

tulavit Joannem, pro tunc vicarium in Laeta-curia. d. 10 gr.

Item Nicolaus Benessii de Slakynwerd. d. 14 gr. Item dns. Friczko, plebanus s. Mariae in lacu. d. 14 gr. It. dns. Joannes, filius dni. Stephani, protonotarii regni Bohemiae. d. 1 florenum. It. Pezoldus Dobroslay de Newrzyem. d. 10 gr. It. Joannes Styeply, presbyter. paup. It. Petrus de Straz. paup. Andreas Michaelis de Budweys.

Anno Domini 1381. honorabilis vir, dns. Nicol. de Kossczol Wladislauiens. nec non Wratislauiensis ecclesiarum cathedralium canonicus, rector universitatis juristarum intitulavit infra scriptos: Georgius de Praga, canonicus Olomuczensis. d. 19 gr. Fridericus Friderici de Pyetypes. 14 gr. Procopius Cristani, publicus notarius. p. Joannes de Pomuk, plebanus sancti Galli in Praga. d. 15 gr.

Anno Domini 1381. honorabilis vir, dns. Nicolaus Gaunery de Praga, rector universitatis juristarum studii Pragensis intitulavit infra scriptos: Thomas de Budways. d. 14 gr. Ladyslaus, filius Lucae de Berzencze, canonicus Waradyensis. d. 1 flor. et 1 gr. Stephanus de Secz. d. 14 gr. Cenko Jacobi de Praga. d. 14 gr. Joannes de Heymichep. Georgius de Montibus-cuthnis. d. 14 gr. Nicolaus de Pylzna. p. Martinus Joannis de Gewiczka. d. 8 gr. Nicolaus Rochonis de Horzye-

nyewes, rector parochialis ecclesiae in Horrepnyk. d. 1 flor. 21 gr. Nicolaus Wyeczemyle de Raczow. d. 14 gr. Joannes Henrici de Cubitu. p. Jacobus Michaelis de Mysa, pincernae Romanorum et Bohemiae regis, ecclesiae Pragensis canonicus praebendatus. Nicolaus Sulkonis de Zebnycz. d. 14 gr. Stiborius, baccal. in artibus, filius Kunssonis de Lybus. d. 6 gr. Simon Nicolai de Brunna. p. Joannes de Magna-villa. d. 14 gr. Hynko de Chotylsko. p. Joannes Borzkonys de Nowa-villa. d. 1 flor. et 1 gr. Joannes Lale de Lybus. p. Nicolaus de Chlumczano. p. Procopius Martini de Praga. p. Henricus de Mezerzicz, can. Brunnens. d. flor. et 1 gr. Nicolaus de Mislavs, canon. Wissegradens. d. 14 gr. Laurentius Radyslay de Nowa-pilzna. d. 14 gr. Joannes Frenlini de Duba. p.

Anno Domini 1382. Carolus Haguini, archidiaconus Upsalensis, rector universitatis canonistarum studii Pragensis infra scriptos intitulavit: Procopius de Trzebowel, canon. s. Aegidii Prag. ad instantiam dni. officialis. Abel de monte Petri de Vngaria. d. 14 gr. Nicolaus de Praga, canon. Vicegradens. baccal. in artibus. d. 14 gr. Stiborius, plebanus s. Petri prope Doxanum, baccal. in artibus. d. 14 gr. Dns. Joannes de Vsk, baro. 20 gr. Nicolaus de Masczow, bacc. in artibus. 14 gr. Dns. Busko de Gynyn, decanus Tynens. d. 19 gr. Dns. Joannes, capellanus clementerii

dreas Thoriri, presb. Star. d. 14 gr. Michael Vinke de Tewcz. pp. Dns. Petrus de Girna, canonicus ecclesiae Strengenens. d. 14 gr. Sigurdus de Strengis. Tenetur in festo nativitatis. (d. 14 gr. *ser. add.*) Petrus de Strengis, scolaris dni. Petri supra dicti. pp. Dns. Andreas Magni de Hattela, presb. de ecclesia Abonensi. d. 14 gr. Ffinwidus de Lincopia. d. 14 gr. Woldemarus de Campo. d. 14 gr. Mathias Benedicti de Londis. d. 14 gr. Dns. Andreas Mathiae de Nerpss. d. 14 gr. Conradus Abbeborg. de Lvnenborgis. d. 14 gr. Laurentius Svnonis de Lincopia. d. 7 gr. Mag. Arnoldus Wodarch de Stargardia. d. Dns. Bvsso Rathenow de Berlyn. d. 14 gr. Theodricus Sanfftelebyn, bacc. in artibus. d.

Anno Domini 1398. honorabilis vir, dns. Nicolaus Gewnheri, sacrosanctae Wyssegradensis ecclesiae scholasticus, nullo medio ad Romanam ecclesiam pertinentis, quae nullius dyoecesis esse dinoscitur, rector universitatis canonistarum studii Pragensis, intitulavit subsequentes: Magnus Ingheleue de Brunswik. dedit 14 gr. Luderus de Rottorpe. pp. Henricus Toete de Dymyn. d. 14 gr. Tuvo Petri, presbyter. d. 14 gr. Ludolfus Zankenstede. pp. Joannes Kappel de Wlda. d. 14 gr. Hartuicus Plesse. d. 24 gr. Conradus Plesse. d. 14 gr. Martinus Joannis de Dacia. d. 14 gr. Nicolaus Stephani de Abo. d. 14 gr. Linuidus Gerlazi de Nylandia. d. 14 gr. Jacobus de Stendal

pp. Joannes Carnificis de nova Stargardia. d. 14 gr. Joannes Rosenuelt. d. 14 gr. Mathias Dorsten de Stetyn. d. 14 gr. Dns. Joannes Most, canonicus Lundensis. d. 14 gr. Otto Sehenke de Landesperg. d. 14 gr. Henricus Schenk de Landesperg. d. 14 gr. Joannes, alias Jan de Nichele. d. 14 gr. Nicolaus Kraus de Sundis. d. 14 gr. Joannes Belen de Paderborne. d. 14 gr. Altcherus de Stauria. d. 14 gr. Sdanderus de Stauria. d. 14 gr. Fridericus de Stauria. d. 14 gr. Otto de Stauria. d. 10 gr. Wedygo Ternyn. d. 14 gr. Mathias Dwneger de Terpeswald. d. 14 gr.

Anno Domini 1399. honorabilis vir, dns. Nicolaus Gewnheri, sacrosanctae Wyssegrad. ecclesiae scolasticus, Bollesslawyensis ac Melnycensis ecclesiarum canonicus, rector universitatis canonistarum studii Pragensis, intitulavit subsequentes: Nicolaus de Kolberch. d. 14 gr. Odardus, canonicus Reualiensis. d. 14 gr. Ludolfus Synnecz, beneficiatus in ecclesia Paderburnensi. 14 gr. Raueno de Brencken, canonicus eccl. Paderburnens. 14 gr. Cczabellus Polen de Brandenburg. d. 14 gr. Nicolaus Syebo, canonicus Ripens. d. 14 gr. Zanderus de Linburch. d. 14 gr. Matthaeus de Tangermundis. pp. Albertus Kwerstede de Stendal. d. 14 gr. Tyodricus Holthawsen de Stendal. pp. Laurentius de Roskyldis. d. 14 gr. Joannes Petri de Selendia. pp. Thomas Petri de Flensburch. d. 9 gr. Dns. Jacobus Ni-

cholai de Vpsalia. 14 gr. d. Dns. Karolus, decanus Skarensis. 14 gr. d. Abernus Starensis. 9 gr. d. Joannes Cluzeman de Kolberch. d. 14 gr. Olawus de Gazwuge. d. 14 gr. Matthaeus de Halberstat. pp. Michael Blide. d. 24 gr. Joan. Berlinghaf. d. 14 gr. Joan. Zynstorp. d. 14 gr. Nicolaus Gronehaghen. d. 14 gr. Henricus Sculteti. pp. Stephanus de ?arnswaldis. d. 14 gr. Joannes, canonicus Linkopiensis. d. 14 gr. Laurentius Wittow de Gripes (*waldis?*) pp. Joannes Vedder de Greifenhagen. pp. Wedekyndus Spehel. d. 14. Canonicus. Pertoldus de Hirsem. pp.

Anno Domini 1400. honorabilis vir, dns. Stephanus de Manycz, Olomucensis et Brunnensis ecclesiarum canonicus, rector universitatis canonistarum studii Pragensis intitulavit subsequentes: Joannes de Bordens de Grania. d. 14 gr. Ewerhardus Bringman de Paderborne. d. 14 gr. Wernerus Harpstede de Hempurgis. d. 14 gr. Gothfridus de Borchen Paderbornens. d. 14 gr. Elbo Joannis, canonicus Ripens. d. 14 gr. Heningus, plebanus in Betzindorf. d. 14 gr. Joannes Bodenzen de Luneburch. d. 14 gr. Tidericus Zemelbeker de Luneburch. d. 14 gr. Nicolaus Kaliss de Wollin. d. 14 gr. Sanderus Klocow de Stetin. d. 14 gr. Ciriacus de Bussna. d. 14 gr. Mag. Joannes Sumer de Liuonia. d. 14 gr. Symon Carnificis de Rupin. pp. Theodricus de Delf de Halandia. d. 14 gr. Hermannus Wrisberg

de Allewelde. d. 14. gr. Joannes de Zoldin. d. 14 gr. Henricus Schenk de Landesperk, nobilis. 24 gr. Heningus de Rupin. pp. Henricus Zedeler de Colberg. d. 14 gr. Jacobus de Werben. d. 14 gr. Hermannus Lepl de Camyn. d. 14. Nicolaus de Rupin. pp.

Anno Domini 1401. honorabilis vir, dns. Mroczko de Kiszeleuo, canonicus Plocens., rector universitatis canonistarum studii Pragensis, intitulavit subsequentes: Henricus Zeigeburg de Lubek. d. 14 gr. Joannes Redigstorp, canonicus in Gustrow. 14 gr. d. Jacobus Dunger de Premeslauia. 8 gr. d. Tidricus Gerner de novo Trepto. 10 gr. d. Ingwarus Nicolai, canonicus Ripensis. 14 gr. d. Joannes Takonis de Dacia. 14 gr. d. Heningus de Soldin. 14 gr. d. Liborius de Bremis. 14 gr. d. Vlfardus Vlfardi de Suecia. 14 gr. d.

Honorabilis vir, dns. Nicolaus Geunheri, vicerector, intitulavit subscriptos: Gotfridus Duderstat. d. 14 gr. Thydricus Horborch. tenetur. 14 gr. Detmarus Horn de Colberghe. d. 14 gr. Joannes Wolfardi de Demin. d. 14 gr. Joannes Petri de Dacia. d. 14. gr. Rudolfus Quitzow. d. 14 gr. Thymmo Bood, canonicus Sleswicens. d. 14 gr. Joachim Molczan. d. 14 gr. Jacobus Mortze de Parchem. pp.

Anno Domini 1402. honorabilis vir, dns. Hewko de Konyad, plebanus in Strosbergis et vicarius ecclesiae Warmiensis, rector universitatis canonistarum studii Pragensis, intitulavit subsequentes; Nobilis dns. Joachim Molczan. d. 10. gr. quia prius anno praeterito d. 14 gr. Joannes Grabow de Lunenburgis. d. 14 gr. Heynricus de Heyda de Lunenburgis. d. 14 gr. Stewslaus de Costyn. (?) d. 14 gr. Martinus Mankvinus de Lencz. d. 14 gr. Dns. Joannes de Betnom, canonicus Strengenens. d. 14 gr. Dns. Petrus de Loptom, canonicus Lynconpens. d. 14 gr. Petrus Hope de Bretina. paup. Albertus Appellderbeke de Trimonia. paup. Lyndwydus Lyndwydi, canonicus Vpsalens. d. 14 gr. Heynricus Walmaw de Stetyn. d. 14 gr. Heynricus Suwyko de Wytenstein. d. 14. gr. Gotfridus Basdow de Lunenburg. d. 14 gr. Dns. Hermannus de Hamme. Dns. Joannes Kyndt de monasterio s. Michaelis in Lunenburg. Isti duo dederunt 28 gr. Joan. Crowel. paup. Albertus Varentrappe, mag. artium. d. 14 gr.

Anno Domini 1403. honorabilis vir, dns. Nicolaus Geunheri, divina miseratione sacrosanctae Wyssegradensis ecclesiae decanus, nullo medio ad Romanam ecclesiam pertinentis, et quae nullius dyoecesis esse dinoscitur, rector universitatis canonistarum studii Pragensis, intitulavit subsequentes: Nicolaus Plump de Stetin. d. 14 gr. Joannes Pauli, arcidiaconus Lundensis. d. 14 gr.

Joannes Andre de Lundis. d. 14 gr. Henignus (*sic*) de Holzacia. promisit. Nicolaus Lagonis, canonicus Roschildens. d. 14 gr. Andreas Gerechini, canonicus Roschildens. d. 14 gr. Dns. Theodricus de Hildensen, vicarius in Linburg. d. 14. gr. Burgardus Bedelenborch. pp. Joannes Staffeld, canonicus regularis. d. 14 gr. Sweno Petri de Vsalia. d. 14 gr. Nicolaus Joannis de Calmarina. d. 14 gr. Joannes de Berlyn, altarista. d. 14 gr. Nicolaus Gulczow de Hamborch. d. 14 gr. Busso de Dolle, canonicus Stetinensis. d. 14 gr. Heningus Clokow. d. 14 gr. Richardus Rikmannii de Stendal. solv. 14 gr. Petrus Crapen de Witemberg. d. 14 gr. Petrus de Potendorf, altarista ad sctum Stephanum in Wyen. d. 14 gr. Henricus Orgess de Liuonia. d. 14 gr. Hennygnus Hösten. Tydrycus Luberstade. d. 14 gr. Dytlewus Wangelkow de Gripeswaldis. d. 14 gr.

Anno Domini 1404. honorabilis vir, dns. Joannes Pauli, archidiaconus Lundens. et canonicus Roskildens. rector universitatis juristarum studii Pragensis, intitulavit infra scriptos: Erlendus Petri de Abo. pp. Olauus Jacobi de Roskildis. d. 14 gr. Henricus Thûbringher de Gripeswaldis. promisit. Joannes Stoltewt de Revalia. d. 14 gr. Benedictus Naffnonis de Lundis. d. 14 gr. Bertoldus Henikini de Lundis. d. 14 gr. Joannes Gerechini de Roskildis. d. 14 gr. Joannes Pauli de Roskildis. d. 14. gr. Gerardus de Stendel. pp. Bartholomaeus Sani-

gerwe. d. 14 gr. Egbertus Kruse de Terbato. d. 14 gr. Henricus Vos de Vredelant. d. 8 gr. Joannes Schenken de Landisperg. d. 28 gr. Joannes de Winczingerode. d. 14 gr. Gotskalkus de Paderborne. d. 14. gr. Hinricus de Vslaria. d. 14 gr. Otto Vinczelbergis promisit infra dominicam Palmarum. Matthaeus Brant, presbyter. d. 14 gr.

Anno Domini 1405. honorabilis vir, dns. Bernhardus Bulow de Glyn, decanus et canonicus ecclesiae Tarbatens. rector universitatis juristarum studii Pragensis, intitulavit infra scriptos, anno, quo supra; videlicet 1405: Hinricus Inkul. d. 14 gr. Rolandus de (Vlenzeburg. pp. *nomen rasum*). Laurentius Joannis, decanus Roskildens. d. 14 gr. Petrus Jacobi pp. Mag. Hinricus de Bernhaghen. d. 14 gr. Joannes Benyn de Hamborgh. d. 14 gr. Mathias Veltun de Breozen. pp. Jacobus Roschilt de Collebergh. pp.

Anno Domini 1406. honorabilis vir, dns. Andreas Gerechini, Roskildensis et Lundensis ecclesiarum canonicus, reotor universitatis juristarum studii Pragensis, intitulavit infra scriptos: Mag. Christianus Grifenhaghen de Stetim. d. 14. gr. Baroldus Morder de Bärden. 14 gr. Eberhardus Herwert. pp. Jacobus de Vordis. d. 14 gr. Bernardus Woerschouen. pp. Heinmannus

de Erfordia. pp. Sabellus Helpte de Brandeburg. d. 14 gr. Joannes de Hoym. d. 14 gr. Meynardus Winke de Vllessen, presb. d. 8. gr. Henricus Raven de Lonborgh. d. 14 gr. Joannes Pectoris de Stolpis. pp. Henricus de Schirembecke. pp. Alradus de Hervordia. d. 6 gr. Residuum ad festum nativitatis. Dns. Laurentius Olaui, can. Vpsalens. 14 gr. Dns. Petrus Jacobi, plebanus in Broegninge. d. 14. Jacobus Swale. pp. Nicolaus de Gantz de Ruya. pp. ad festum Paschae. Adam Brockman de Pyrycz. d. 14 gr. Jacobus Blankenfelde de Berlin. d. 14. Joannes Holkan de Belün. d. 14. Engelbertus Wsterwitz de Brandeburg. d. 14. Borkardus Plotcze de Sundis. d. 14. Nicolaus Werneri de Paderborne. d. 6 gr. Dns. Joannes Andreae, canonicus Roskildens. d. 14 gr.

Anno Domini 1407. honorabilis vir, dns. Mathias de Glowaczaw, plebanus in Olsna, rector universitatis juristarum studii Pragensis, intitulavit infra scriptos: Joannes Marnholte, canonicus Hildensem. d. 14 gr. Heynricus Scheppil. pp. Theodricus Zukow de Rostock. d. 5 gr. residuum promisit ad festum Simonis et Judae. Andreas de Reppyn. d. 6 gr. promisit residuum. Hermannus Volkaw de Frankefurdis. d. 14 gr. Mag. Franciscus Hoppe de Prempslawia. d. 14 gr. Nicolaus de Delaw de Prempslawia. d. 14 gr. Sewidus Rybbingh, canonicus Arusiens. d. 14 gr. Heynricus

de Roven de Meydburg. d. 14 gr. Ingewaldus Ingeldi, prebendatus ecclesiae Arosiens. d. 14 gr. Oltmannus Wöghe de Stetin. d. 14 gr. Dns. Joannes Darzow de Cussalin. d. 14 gr. Heynricus Levenwalde. d. 14 gr. Albertus Burmester de Bardis. d. 14 gr. Joannes Mvnth de Luchow. d. 14 gr. Heynricus de Karow. pp. Jacobus Gorwin de Cussalin. d. 14 gr. Mag. Arnoldus Stalle de Wenda. d. 14 gr. Mag. Joannes Hamme de Lubik. d. 14 gr. Dns. Henynghus Parlebergh de Poznwalk. d. 14 gr.

Anno Domini 1408. venerabilis vir, dns. Vlricus de Strassicz, praepositus ecclesiae scti Apollinaris novae civitatis Pragensis, et canonicus Pragens. ecclesiarum, rector canonistarum studii Pragens. intitulavit infra scriptos: Gyzebertus de Meer. d. 14 gr. Hermannus Konig de Lübik. d. 14 gr. Gerardus Colbuk de Tanglin. d. 14 gr. Joannes Krügen de Soltwedl. d. 14 gr. Thidericus de Brunswyg. ppt. Deum. Elaws Nicolai de Asloya. d. 14 gr. Georgius Sliwen. d. 14 gr. Georgius Halwerstat. d. 14 gr. Marquardus Brant. d. 14 gr. Otto Kudzel. d. 14 gr. Andreas Falstus, canonicus Arusiensis. d. 14 gr. Petrus Zoltwedl. d. 14 gr. Joannes Kroll. d. 14 gr. Nicolaus Buckholt. Cum pervenerit ad fortunam pinguiorem; juravit ut pauper. Stephanus Doleatoris de Brandenburgis. d. 14 gr. Laurentius Olawi, decanus Arosiens. d. 14 gr.

Jacobus Joannis can. Arosiens. d. 14 gr. Nicolaus Tramme. d. 14 gr. Nicolaus Burgstorp. d. 14 gr. Dns. Henricus Schenk. d. 14 gr. Dns. Joan. Petri, canonicus Lundensis etc. d. 14 gr. Wynoldus Brokman. d. 14 gr. Conradus Lemke de Wollyn. d. 14 gr. Joannes Egghardi de Stolp. d. 14 gr.

Anno Domini 1410. honorabilis vir, dns. Mathias, plebanus de magna Czinger, baccalarius Erfordensis decretorum, rector universitatis studii Pragensis, intitulavit infra scriptos: Nicolaus Pistoris de Wollin. d. 14 gross. Otto Langen de Reppin. pauper. Otto Gruel de Cussalin. paup.

Anno Domini 1412. honorabilis vir, dns. Conradus Wertheym, Warmiensis ac sanctae Crucis Vratislauiensis ecclesiarum canonicus, rector canonistarum studii Pragensis, intitulavit infra scriptos: Balthasar Menczen de Ruppin. paup. Joannes Petri dictus Laxman, canonicus Roskildensis. d. 14 gr. Petrus Hennyngi, dictus Swart. pp.

Anno Domini 1413. honorabilis dns. Mathias Rost, canonicus Pragensis, rector canonistarum studii Pragens. intitulavit infra scriptos: Petrus Mulner de Cussalin. d. 14 gr. Tico de Rosalia. paup. Dns. Petrus Fabri de Bramburg. d. 14 gr. Jacobus Joannis de Rossillia. Dns. Joachim de Horst, perpetuus vicarius parochialis ecclesiae scti Nicolai in Wismaria.

Anno Domini 1414. honorabilis vir, dns. Mathias Rost, canonicus ecclesiae Pragens. rector canonistarum studii Pragensis, intitulavit infra scriptos: Mag. Arnoldus Rambow de Tanglin. d. 14 gr.

Anno Domini 1417. dns. Vlricus, praepositus scti Apollinaris, rector universitatis canonistarum studii Pragensis: Petrus de Ffuzya, Trajectens. dioec.

---

*Bulla aurea Caroli IV. seu fundationis universitatis diploma hic insertum post aliquot paginas sequitur ad literas authenticas conformatum.*

## Hic inscribantur decedentes, una cum eo, quid dederunt, de quo rector tertiam non deducet.

Anno Domini 1379. regente honorabili viro, dno. Henrico de Stuolenka, bacc. in decretis, nostram universitatem, hi, qui sequuntur, diem suum clauserunt extremum. Pro candelis

Henricus Fristorii piae memoriae. 1 flor. dedit. Henr. Renberg piae memoriae. 1 flor. d. Pilgrinus, religiosus piae memoriae. 1 fl. d Joannes de Cuzged, bacc. in decretis, piae mem. 1 fl. Mag. Hupertus piae mem. 1 fl. Remwoldus de Nouimayo, bacc. in decr. 10 gr.

Infra scripti sunt mortui tempore dni. N. de Kossczol, rectoris universitatis juristarum studii Pragensis. Primo: Barthol. de Cunenia d. 16 gr. piae memoriae. Gotschalkus Thevin. Sabb. ante Viti. 1380. flor. 1.

Anno Domini 1380. in die scti Albani martyris obiit dns. Joannes de Sternberg, studens Pragens., cujus anima cum aliis fidelibus requiescat in pace. Amen. d. flor. 1. grossum. Item in die sancti Joannis Baptistae, hora 13. anno, quo supra, obiit dns. Joannes Chraffto de Patauia. d. flor. 1.

Item in die octava s. Wenceslai obiit dns. Petrus de Bruchsella. d. 1 fl.

Item anno Domini 1381. obiit dns. Hermannus de Redyngen. d. 16 gr. tempore rectoratus dni. Nycolay de Praga Geunheri. Item praescripto anno in die s. Catherinae virginis obiit dns. Bertoldus Vigilii de Aemepcz, cujus anima requiescat in Christo, et d. 1 fl.

Anno Domini 1382. sub honorabili viro dno. Carolo Haquini de Swecia, archidiacono Vpsalens. tunc rectore universitatis juristarum studii Pragensis infra scripti decesserunt. Primo dns. Hogerus, comes de Mansfeld. d. 24 gr. Item Otto Langlewen de Ysnako. d. 1 fl. Item Albertus Polnicz. d. 1 fl. Item Conradus de Frankensteyn. d. 1 fl. Item dns. Joannes Prilant. d. 22 gr. Item Gerardus Pamyn. d. 1 flor. Item mag. Nicolaus Gyntersbergh. d. 1 fl.

Anno Domini 1383. sub nobili viro dno. Georgio de Hoenloch, rectore universitatis juristarum studii Pragens. (per me vicerectorem) infra scripti decesserunt. Primo: Dns. Nicolaus olim rector universitatis nostrae de Polonia. d. 24 gr.

Anno Domini 1384. sub honorabili viro dno. Nicolao Geuneri, rectore universitatis juristarum studii Pragensis. Dns. Joannes dictus Sak. d. fl. It. Henricus Steynwek obiit. d. fl. It. Bertoldus de Treptaw. d. 16 gr.

Anno Domini 1386. sub honorabili viro dno. Vlrico de Sellenberk obiit dns. Albertus de Ffrisia, dedit unum florenum Rinensem.

Anno Domini 1386 Mathias Kule, praepositus Priswalkcensis notari fecit mortuos infra scriptos: Plebanum beatae Virginis in lacu. d. 18 gr. Bartholomaeum de Rozstock. d. fl. Rynensem.

Anno Domini 1387. nobilis vir dns. Smylo de Wyczow notari fecit mortuos infra scriptos. Dns. Vlricus, olim rector, qui dedit 1 flor. Dns. Paulus de Prussia. d. 1 flor.

Anno Domini 1390. honorabilis vir dns. Nicolaus Ergemes de Liuonia, baccalarius in decretis, mag. in artibus, rector universitatis juristarum notari fecit mortuos infra scriptos. D. (*nomen deletum*) d. 1 fl.

*Sequentia in plagella ad ipsum integumentum agglutinata exstant.*

Anno Domini 1393. Petrus Capplerii, praepositus sctae crucis Wratisl. notavit mortuos infra scriptos. Primo: Dns. Machko de Mutina, doctor decretorum. Item Mathias Hole de Olomucz, baccalarius in decretis. d. 20 gr. Nicolaus Dubowicz de Fredeg, clericus Wratisl. dioec. notarius publicus et studens. Joannes Kanutj de Waslef, een stoor Skoeghesoen.

Dns. Vlricus, propositus ecclesiae s. Apollinaris, facta ratione, de singulis tam de perceptis quam de expositis remansit debitorie obligatus in quinque sexagenis grossorum Pragensium minus septem grossis; et eadem ratio facta est die penultima mensis Julii, anno Domini 1410. indictione tertia, in domo propria sua. Item eodem die dns. praepositus exposuit 20 gr. ex propriis pro obsonio seu commestione vespertina praesentibus consiliariis novis et antiquis, et remanebit adhuc obligatus in quatuor sexagenis cum media et 3 grossis.

Anno Domini 1411. die 10. mensis Februarii, honorabilis dns. Mathias, plebanus in magna Czinger remansit debitorie obligatus universitati tres sexag. facta ratione de singulis tam ab antiquo rectore receptis, quam pro aliis emolumentis, quam etiam expositis, pro quibus pecuniis obligavit res suas per eum dereliquendas. (*Cancellatum.*)

Dns. Mathias Rost, canonicus ecclesiae Pragensis facta ratione de singulis tam perceptis quam de expositis per duos annos remansit 18 grossorum, et eadem ratio facta est prima die mensis Junii, anno Domini 1415. indictione 8. in comodo honorabilis mag. Jacobi Styekna, praesentibus consiliariis novis et antiquis. (*Item cancellatum.*)

Nota, quod, qui sedet in scamnis studentium (?) solvit 14 gross. et si vult sedere anno sequenti in scamno nobilium, superaddat 10 gr.

# Nomina

personarum in hoc Albo juridico-canonico exstantium alphabetice disposita.

*Nota. Asterisco signata in parte quoque priori occurrunt. Numerus paginam denotat.*

## A.

# B.

# C.

# F.

# G.

# H.

# I.

# K.



# L.

# M.

# N.

# O.



# P.

# R.

# S.

# T.

# U. V.

# W.

# Z.

# CODEX DIPLOMATICUS

ALMAE

CAROLO-FERDINANDEAE

# UNIVERSITATIS

# PRAGENSIS

originem, incrementa, privilegia, jura, beneficia, aliaque fata, tum prospera, tum adversa

ILLUSTRANS.

## SECTIO PRIMA.

*Diplomata ad documentorum authenticorum in universitatis Pragenae tabulario adservatorum exemplaria magna ex parte modo primum luce donata.*

## I.

Clemens VI. pont. Rom. (secundum V. Franc. Pagi chronologiam elect. die 7. mensis Maji a. 1342. def. dic 6. m. Dec. a. 1352.) literis Avenione die 26. m. Januarii a. 1347. datis *studium generale* Pragae fundandum adprobat, ejusque doctoribus, et magistris sub auspiciis archiepiscopi Pragensis creandis, jura adsignat.

*Nota.* Hoc atque sequentia hujus sectionis diplomata cuncta in membranis conscripta sunt sat bene conservatis.

Clemens episc. servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

In suprema dignitatis apostolicae specula, quamquam insufficientibus meritis, divinae dispensationis munere constituti, ad universas fidelium regiones, eorumque profectus et commoda, tanquam universalis dominici gregis pastor, commissae nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quaerenda literarum

studia, per quae divini nominis, suaeque catholicae fidei cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, gratiosos libenter favores impendimus, et opportunae commoditatis auxilia impartimur.

Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Romanor. illustris, nobis exposito, quod in haereditario regno suo Boemiae, multisque aliis eidem regno finitimis regionibus atque terris, generale studium, quod in illis partibus summe foret expediens, non habetur; quodque metropolitica Pragensis civitas, in ipsius regni medio, locoque saluberrimo sita, et a diversarum partium gentibus frequentata, ac in victualibus, aliisque vitae necessariis copiosa, ad hujusmodi generale erigendum, cum particulare dudum in ea fuerit studium, accommoda multum existeret: Nos considerantes eximiam devotionis et fidei puritatem, quam tam ipse Carolus, et praedecessores sui, Boemiae reges, quam ejusdem regni incolae, ad sanctam Romanam ecclesiam gessisse, ac ipsi, Carolus rex, et incolae gerere dinoscuntur, ferventi desiderio ducimur, ut regnum ipsum, quod divina bonitas multitudine populi, rerumque copia praedotavit, fiat literarum fertilitate fecundum, ac in eo, quemadmodum auri et argenti fore dinoscitur, sic scientiarum praevalentium sit minera: ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus

eruditos; sitque ibi fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi literalibus cupientes imbui documentis.

His igitur omnibus, et praesertim amoenitatibus civitatis praefatae, diligenti examinatione pensatis, ad hujusmodi universale non solum praemissorum ejusdem regni et regionum circum adjacentium incolarum, sed etiam aliorum, qui de diversis mundi partibus ad eandem confluent civitatem, commodum et profectum paternis affectibus anhelantes, dicti regis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio, apostolica auctoritate statuimus: ut in dicta civitate Pragensi perpetuis futuris temporibus generale studium vigeat in qualibet licita facultate; et quod legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus ac immunitatibus, concessis doctoribus, legentibus et studentibus, commorantibus in studio generali, gaudeant et utantur; quodque illi, qui processu temporis scientiae margaritam fuerint in illa facultate, in qua studuerint, assecuti, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac magisterii honorem, seu titulum petierint impartiri, per magistros seu magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, archiepiscopo Pragensi, qui est pro tempore, praesententur; idem quoque archiepiscopus doctoribus et magistris in eadem facultate inibi actu regentibus convocatis, illos in his, quae in promovendis ad doctoratus seu magisterii honorem requiruntur, per se vel alium, juxta modum et

consuetudinem, quae super talibus in generalibus studiis observantur, examinare studeat diligenter; eisque, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, hujusmodi licentiam tribuat, ac honorem seu titulum conferat magistralem. Illi vero, qui in eodem studio dictae civitatis examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem seu titulum magisterii obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine et approbatione alia, regendi et docendi, tam in civitate praedicta, quam alibi ubicumque, quibuscumque tam dictae civitatis, quam quorumlibet aliorum locorum, seu generalium studiorum, in quibus voluerint, regere vel docere, statutis vel consuetudinibus contrariis, apostolica, vel alia quacumque firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avenione VII. Cal. Febr. Pontificatus nostri anno quinto. *Jo. Senen.*

Bulla plumbea Romanis pontificibus usitata funiculo pendet bombycino rubri flavique coloris, in cujus parte antica legitur: Clemens P. P. VI. aversa vero apostolorum Petri et Pauli facies exhibet interposita cruce, literis supra scriptis S P A. S P E.

# II.

Carolus IV. Romanorum et Bohemiae rex, Pragae die 7. m, Aprilis a. 1348. universitatem Pragenam constituit, ejusque doctoribus, magistris et scolaribus eadem adserit jura, quibus Parisienses gaudent et Bononienses.

Carolus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et Boemiae rex. Ad perpetuam rei memoriam.

Inter desiderabilia cordis nostri, et quae cogitationi regali jugiter occurrunt, animi praecipua reddimur anxietate solliciti, specialiter convertentes aciem mentis nostrae, qualiter regnum nostrum Boemiae, quod prae ceteris hereditariis, aut eufortunae acquisitionis honoribus et possessionibus praerogativa mentis affectione complectimur, cujus exaltationem omni, qua possumus, diligentia procurantes, ipsius honori intendimus totis conatibus et saluti; sicut rerum victualium, ad dispensationem divini nominis, natura profluente, tripudiat, sic ad nostrae provisionis edictum prudentum virorum copia nostris artificialiter temporibus decoretur, ut fideles nostri regnicolae, qui scientiarum fructus indesinenter esuriunt, per aliena mendicare suffragia non coacti, paratam in regno sibi mensam propinationis inveniant, et quos ingeniorum nativa subtilitas ad consilia reddit conspicuos, literarum scientia faciat eruditos; nec solum compellantur, aut supervacuum reputent, ad investigandas gyrum terrae scientias circuire, nationes expetere peregri-

nas, aut, ut ipsorum aviditatibus satisfiat, in alienis regionibus mendicare; sed gloriosum aestiment, extraneos alios ad suavitatem odoris et gratitudinis hujusmodi participium evocare.

Sane ut tam salubris et laudabilis animi pariat conceptio fructus dignos, regni ipsius fastigia tripudialibus novitatis volentes primitiis augmentari, in nostra Pragensi metropolitica et amoenissima civitate, quam terrenae fertilitatis fecunditas, et plenitudine rerum amoenitas localis reddunt utiliter tanto negotio congruentem, instituendum, ordinandum et de novo creandum, consulta utique deliberatione praevia, duximus studium generale; in quo siquidem studio doctores, magistri et scolares erunt in qualibet facultate, quibus bona magnifica promittimus, et eis, quos dignos viderimus, regalia donaria conferemus, omnes et singulos doctores, magistros et scolares in profectione, et qualibet facultate, ac undecunque venerint, veniendo, morando et redeundo sub nostrae majestatis speciali protectione et salva gardia retinentes, firmam singulis fiduciam oblaturi, quod privilegia, immunitates et libertates omnes, quibus tam in Parisiensi, quam Bononiensi, studiis doctores et scolares auctoritate regia uti et gaudere sunt soliti, omnibus et singulis illuc accedere volentibus liberaliter impertimur, et faciemus ab omnibus et singulis inviolabiliter observari.

In quorum omnium testimonium et ad certitudinem pleniorem praesentes fieri jussimus, et bulla

aurea typario nostrae majestatis impressa praecepimus communiri.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, Indictione prima, VII. Idus Aprilis, regnorum nostrorum anno secundo.

Bullae aureae effigiem vide in tabulis lithographicis exhibitam.

---

# III.

Carolus IV. Rom. imp. et Boh. rex, Pragae die 1. m. Martii a. 1358. villarum ad universitatem pertinentium Broczan, Chudolazi, Wzalezlie, Wesseli, Bor etc. incolas, et alios homines universitati adscriptos in causis quibuslibet coram Bohemiae tantum regibus, eorum subcamerariis et commissariis specialibus respondere jubet, aliorum judicum quorumcunque sententias inanes declarans; contrarium attentans poenam incurrat centum marcarum auri puri.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter, amen.

Carolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Bohemiae rex. Ad perpetuam rei memoriam.

Etsi quadam generalitate imperialis eminentia votis quorumlibet rationabilibus, ut optatum sortiantur effectum, de innata sibi clementia dignatur annuere, speciali tamen affectu ducitur, ut illorum de-


sideriis condescendat, qui utilitatem publicam affectantes, pro ea rationabiliter intercedunt.

Sane pro parte honorabilium rectoris et scolarium studii generalis civitatis nostrae Pragensis, devotis nostris dilectis, majestati nostrae fuit humiliter supplicatum, quatenus cum ipsum studium nonnullos homines, bona, et jura, in villis, et villarum terminis in Broczan, Chudolazi, Wzalezlie, Wesseli, Bor, et in aliis locis obtineat, cum quibus et eorum reditibus ipsum studium honorifice regi, laudabiliter gubernari, et in suo statu conservari debebit, eidem studio, et pro ejus felici augmento concedere et liberalitate munifica indulgere gratiose velimus, quod homines villarum dictarum, et alii ad ipsum studium pertinentes in causis quibuslibet, coram nobis et nostris successoribus, Bohemiae regibus, subcamerariis regni nostri pro tempore existentibus, et specialibus commissariis, quibus nos, vel dicti nostri successores causas hujusmodi duxerimus committendas, et non alibi de se conquerentibus in judicio debeant respondere.

Nos igitur felix augmentum, honorem et laudem regni nostri praedicti, quae ex plantatione dicti studii insurgunt, evidenter perpendentes, et in examine proinde discussionis rationabiliter adducentes, quod studentes dicti studii tanto liberius, tantoque uberius studere et studio vacare poterunt, quanto ipsi, eorum homines et bona, a quarumlibet molestiarum impetu fuerint plenius liberati, speciali libertate dotati, et nostra regia munificen-

tia fulciti, volentesque ob hoc dictum studium, et studentes ibidem, ut fructum suum afferant tempore opportuno, condignis favoribus respicere gratiose, animo deliberato, non per errorem, seu improvide, sed ex certa nostra scientia, principum, baronum, nobilium et procerum nostrorum accedente consilio, et ad supplicem instantiam rectoris et scholarium praedictorum, auctoritate regia Bohemiae, et edicto regio in perpetuum valituro sancimus, quod homines praedicti in causis quibuscunque, sive personales, reales aut mixtae existant, coram nobis, ac nostris successoribus, Boemiae regibus, subcamerariis, et specialibus commissariis nostris, ut praefertur, et non alibi de se conquerentibus, in jure respondere tenebuntur, et si in antea coram alio judice, quam coram nobis, nostris successoribus, subcammerariis, et hujusmodi specialibus commissariis in jus vocati, seu citati fuerint, decernimus, et tenore praesentium statuimus, quod hujusmodi citatio, aliique actus judiciales inde sequentes, ut a non judicibus facti, nullum sortiantur effectum, sed ipso jure sint irriti, cassi, et inanes, nec nullam omnino habeant roboris firmitatem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae majestatis paginam infringere, vel ei ausu temerario quolibet contraire. Si quis autem contrarium attentare praesumpserit, irremissibiliter incurrat poenam centum marcarum puri auri, quarum medietatem nostrae regali Boemiae camerae, residuam vero partem dicto Pragensi studio decernimus applicari.



Signum serenissimi principis et domini domini Caroli quarti Romanorum imperatoris invictissimi et gloriosissimi Boemiae regis.

Testes hujus rei sunt: Venerabilis Arnestus, Pragensis archiepiscopus, Joannes Luthomuslensis, sacrae imperialis aulae cancellarius, Joannes Argentensis, Joannes Olomucensis, et Theodoricus Mindensis ecclesiarum episcopi. Illustres: Petrus Borboniae, Bolko Falkenbergensis, et Conradus Olsnicensis, duces, Joannes Moraviae, frater noster, Fridericus, Balthasar et Wilhelmus fratres Missenenses, marchiones. Spectabiles: Joann. Landgravius de Lutenberg, Burghardus Burggravius Magdeburgensis, imperialis curiae magister, Ludovicus de Ottingen, Henricus de Swarczburg, et Joannes de Retz, comi-

tes, et alii quam plures. Praesentium sub nostrae imperialis majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, Indictione undecima, Calendis Martii, regnorum nostrorum anno duodecimo, imperii vero tertio.

Per dominum imperatorem
*Rudolphus de Frideberg.*
*A tergo:* Rv. Joannes Chremsiriensis.

Sigillum cereum funiculo pendens bombycino flaveo-nigro imperatorem exhibet ornatu imperatorio solio insidentem, duabus aquilis utrinque stipatum scuta rostris tenentibus, quorum alterum ad dextram item aquila, alterum ad sinistram leone Bohemico bicaudato conspicuum est. Verba circumscripta: *Karolus quartus divina favente gratia Romanorum imperator semper augustus et Boemiae rex.* A tergo sigillum minus cerae rubrae impressum aquilam imperialem repraesentat, cui circumscriptum: *Justa judicate filii hominum.*

---

# IV.

Arnestus, archiepiscopus Pragensis, literis die 10. m. Aprilis a. 1360. datis, studii generalis statum internum, imprimis quoad electionem et provinciam rectoris et consiliariorum, propius designat.

Nos Arnestus Dei, et apostolicae sedis gratia sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopus, ac studii Pragensis cancellarius.

Auditis rationibus et motivis magistrorum, doctorum, et quorumdam scolarium, et praehabita deliberatione matura et consilio sapientum, pro necessitate, utilitate, et tranquillo statu, ac incremento dicti studii, fecimus et promulgavimus, facimus et promulgamus ordinationes infra scriptas, prout expedire videtur pro principio et fundamento ipsius studij, consideratis circumstantiis universis.

Primo videlicet, quod in dicto studio sit unus rector et una universitas; et quod rector, qui fuerit pro tempore, sit clericus secularis, deferens habitum et tonsuram clericales. Item, quod eidem rectori jurent omnes magistri, doctores, et scolares seculares, qui sunt, vel fuerint in civitate Pragensi ratione studii legentes, vel audientes lectiones. Religiosi autem se consuetudini universitatis Parisiensis in hoc casu conforment. Item, quod rector eligatur per universitatem, vel ejus majorem partem quicunque, dummodo secularis; de modo autem eligendi, et de electoribus deliberetur. Item quotiens, et quando rectorem artistam esse contigerit, quod ex tunc habeat vicarium juristam, quoad regimen juristarum, et e converso; quod non sit necesse, frequenter congregare totam universitatem in dispendium et distractionem legentium et studentium. Item pro faciendis statutis eligantur per universitatem certae personae de universitate, qui una nobiscum, vel nostris commissariis ista disponant, et ordinem ponant, prout competit cuilibet facultati. Item, quod eligantur consiliarii, sive procuratores de

rationibus, qui minora facta universitatem tangentia expedire possint cum rectore. Item, quod convocationes universitatis non fiant, nisi debito tempore et necessitate exposcente. Item, quod quotienscunque et quandocunque in praemissis vel aliquo praemissorum aliquis dubietatis scrupulus orietur, ex tunc pro declaratione hujusmodi dubii ad nos cancellarium ipsius universitatis seu studii recursus habeatur. Harum, quibus sigillum nostrum majus est appensum, testimonio literarum.

Datum Pragae anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, die decimo mensis Aprilis.

Sigillum vide in tabulis lithographicis exhibitum.

---

## V.

Carolus IV. Rom. imp. ac Boh. rex, literis Pragae die 30. m. Julii a. 1366. datis collegium Carolinum regie fundat, in eoque duodecim magistros artium degere jubet, quorum duo in Biblia et libro sententiarum legant, reliqui s. theologiae studeant.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter, amen.

Carolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, et Boemiae rex. Ad perpetuam rei memoriam.

Regalis mansuetudinis gratum officium ex innatae nobis benignitatis clementia tunc exercere digna liberalitate censemur, dum ad ea, quae chri-

stianae fidei felix augmentum prospiciunt, attendimus accurate. Sane cum sacratissimae catholicae fidei fundamenta in sapientia doctorum existant, eorum praecipue, qui sacrae theologiae beatissimis studiis innituntur: Nos ad honorem omnipotentis Dei, et venerationem fidei orthodoxae multiplicationi doctorum atque magistrorum sacrae paginae volentes intendere, ut eo fortius, eoque dulcius amor fidei in cordibus radicetur fidelium, quo plures fuerint, qui sacrae doctrinae docuerint veritatem; quapropter animo deliberato, sano principum et procerum nostrorum accedente consilio, rite disposuimus in nobili civitate nostra Pragensi, ubi sedis apostolicae gratia et ex consensu regio Boemiae ad principum, baronum, procerum et regnicolarum ipsius instantiam viget studium generale, quoddam fundare et instaurare collegium, quod etiam praesentibus auctoritate regia Boemiae rite fundavimus et duximus instaurandum, eique ex nomine nostro, auctore Domino, felicibus auspiciis nomen imponimus, ut collegium Caroli perpetuis temporibus appelletur; dantes et concedentes eidem collegio auctoritate regia Boemiae pro nobis, haeredibus et successoribus nostris, Boemiae regibus, et ejusdem regni corona imperpetuum pro inhabitatione accommoda magistrorum ac studentium praedicti collegii eam domum in majori civitate Pragensi, quae Lazari dicitur, cum suo curtili et circumferentiis omnibus, prout ab aliis vicinis sibi domibus est distincta, ut infra scripti magistri et studentes in ea resideant sub eis con-

ditionibus, quae inferius expressantur; dantes etiam, conferentes, appropriantes et unientes auctoritate regia praefata, pro nobis, haeredibus ac successoribus nostris, regibus Boemiae, et ejusdem regni corona imperpetuum eidem collegio et personis ad illud spectantibus infra scriptas villas, videlicet: Poczrnicz, Drahelczicz, Vnehoz, Nenaczowicz, Holonohy cum molendinis, pratis, rubetis, et in villa Truss prope Poczrnicz quinque sexagen. grossorum census annui, cum omnibus earum juribus, pertinentiis, libertatibus, fructibus, proventibus, emolumentis et obventionibus universis, quibuscunque specialibus vocabulis possint designari, quae de nostrae regalis clementiae licentia ac mandato, pro memorato collegio emptae, comparatae, ac tabulis terrae Boemiae insertae et inscriptae noscuntur, sicut etiam easdem villas, eidem collegio auctoritate regia Boemiae ac de certa scientia nostra pro nobis, haeredibus et successoribus nostris Boemiae regibus, et ejusdem regni corona, ut praemittitur, rite donavimus et contulimus, ac imperpetuum conferimus et donamus.

Nostrae etiam intentionis existit, et sic auctoritate regia Boemiae hoc perpetuo declaramus edicto, quod in dicto collegio sint duodecim continuo moribus et scientie (*sic*) decorati, qui signanter magistri sint in artibus, ita, quod duo ex eis sint tales, quod in theologia legere valeant, atque legant, unus videlicet in Biblia, et alius in libris sententiarum; et quod reliqui decem in sacra theologia

studeant, ad promotionem orthodoxae fidei et omnipotentis Dei gloriam et honorem; et ut ad hujusmodi sacrae doctrinae studia eo facilior eoque salubrior detur accessus, quo juvenum ingenia in subtilitatibus artium subtiliata fuerint, acumine gratiore decernimus, et hoc regio Boemiae edicto statuimus per praesentes, quod praefati decem in artibus liberalibus doceant et legant more scholastico juxta studiorum generalium observantiam temporibus opportunis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae dispositionis, ordinationis, decreti, statutorum, donationis, concessionis et declarationis paginam infringere, seu ei quovis ausu temerario contraire, sub poena mille marcarum auri purissimi, quas ab eo, qui contrafecerit, toties quoties contrafactum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, et earum medietatem regalis fisci Boemici, residuam vero partem injuriam passorum usibus applicari.

Signum *(idem, quod p. 228.)* serenissimi principis et domini domini Caroli quarti Romanorum imperatoris invictissimi et gloriosissimi Boemiae regis.

Testes hujus rei sunt: Illustres, Rudolffus, duxSaxoniae, sacri imperii archimarescallus, Otto, marchio Brandemburgens., sacri imperii archicamerarius, principes electores. Venerabiles: Marquardus, sanctae Aquilegens. ecclesiae patriarcha, Joannes, Pragens. ecclesiae archiepiscopus, sedis apostolicae legatus, Joannes, Olomucens. nostrae im-

perialis aulae cancellarius, Lambertus, Spirensis, Petrus, Vlixbonens. apostolicae sedis nuntius, Joannes, Wormaciens. et Petrus, Curiens. ecclesiarum episcopi. Illustres: Bolko Swidniczens., Joannes Opaviens., Bolko Opuliensis, Wenczeslaus Falkembergensis, et Wenczeslaus Lignicensis, duces. Spectabiles: Joannes Lantgravius Luttembergens., Henricus de Swarczburg, Joannes de Anhalt, Burghardus Magdeburgens. nostrae imperialis curiae magister, et Joannes de Retz, comites. Nobiles: Jodocus de Rosemberg, Benesschius de Wartemberg, Borsscho de Rysemburg, Ogerius de Landsteyn, Joannes de Wartemberg, et Thymo de Coldicz, camerae nostrae magister, et alii quamplures, nostri et sacri imperii ac regni Boem. nobiles et fideles. Praesentium sub imperialis nostrae majestatis sigillo testimonio literarum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, III. Calendas Augusti, regnorum nostrorum anno Romani vicesimo primo, Boemiae vicesimo, imperii vero duodecimo.

Per dominum imperatorem
*Cancellarius.*

*A tergo:* R[v.] Joannes Saxo.

Sigillum avulsum.

# VI.

**Carolus IV. Rom. imp. et Boem. rex, datis die 30. m. Julii a. 1366. Pragae literis sancit, ne inposterum alius in capitulum Omnium Sanctorum adciscatur, nec a Bohemiae regibus ad idem praesentetur, nisi magistrorum et studentium collegii Carolini vocatione senior, praelaturis, praepositura nimirum et decanatu, exceptis, quae jura servent antiqua; ejus ditioni domum adjungit, canonicorumque officia disponit.**

In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter, amen.

Carolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Boemiae rex. Ad perpetuam rei memoriam.

Sicut divina veritate testante nemo coronabitur, nisi qui legitimo certamini innisus fuerit opere virtuoso: sic et corona est proponenda certantibus, ut in certaminum laborantes discrimine praeter meritum retributionis aeternae, etiam coronam sperent materialis solatii, quatenus duplicis retributionis officio certantium corda ad assecutionem propositi praemii fortius animentur.

Sane cum pridem animo deliberato, principum, baronum, ac procerum regni et coronae Boemiae fidelium nostrorum accedente consilio, quoddam in nobili civitate nostra Pragensi collegium fundavimus et instauravimus, quod etiam ex nostro nomine, auctore Domino, felicibus auspiciis collegium Caroli decrevit nostra serenitas perpetuis

temporibus appellari; quod quidem collegium domo inhabitationis munivimus, numero personarum distinximus, officia lecturae et studiorum distribuimus, reditibus et proventibus congruis dotavimus, sicut in literis fundationis et instaurationis hujusmodi plenius et expressius continetur. Ut igitur magistri et studentes dicti collegii strenue militiae laboribus officia lecturae et studiorum exerceant, magistris ipsis, ac etiam studentibus dicti collegii infra scriptas gratias faciendas duximus, sub modis et conditionibus, prout inferius est expressum.

Primo quidem auctoritate regia Boemiae pro nobis, haeredibus, ac successoribus nostris Boemiae regibus et ejusdem regni corona in perpetuum decernimus, et hoc regio Boemiae perpetuo sancimus edicto, quod ad omnes et singulos canonicatus, et praebendas ecclesiae Omnium Sanctorum regalis capellae in castro nostro Pragensi, dum et quoties eosdem quovis modo vacare continget, nemo amplius praesentari debeat auctoritate regia Bohemiae praefata, nisi senior vocatione de numero magistrorum et studentium dicti collegii nostri, quodque decanus ejusdem ecclesiae, ad quem investitura canonicorum spectare dignoscitur, ante sui approbationem, confirmationem, seu quamvis assumptionem aliam, corporaliter tactis sacro-sanctis evangeliis jurare debeat, nullum penitus ad canonicatus et praebendas hujusmodi admittere, instituere, seu investiri quoquo modo,

nisi eum, quem de numero dicti collegii juxta formam expressatam superius rex Boemiae, qui pro tempore fuerit, duxerit praesentandum; praelaturis, praepositura et decanatu duntaxat exceptis, quas in consuetis suis ab antiquo juribus et conditionibus volumus permanere; et pro usu et commoda inhabitatione dictorum magistrorum et studentium communiter et divisim, dum canonicatus et praebendas hujusmodi assecuti fuerint, ut eo convenientius in dicta ecclesia Omnium Sanctorum divinis obsequiis vacare possint, et valeant, domum illam in minori civitate Pragensi, quae fuit aliquando, bonae recordationis, Bohutae quondam Pragensis canonici, quae sita est ex opposito curiae plebani ecclesiae sancti Nicolai dictae minoris civitatis Pragensis, ipsis et eorum successoribus in perpetuum auctoritate regia Boemiae pro nobis, haeredibus et successoribus nostris regibus Bohemiae, et ejusdem regni corona, animo deliberato, ac de certa nostra scientia damus, conferimus et donamus, ea conditione, ut dum unus, duo vel plures de praefato collegio Caroli hujusmodi canonicatus et praebendas assecuti fuerint, mox alius, seu alii sufficientes et idonei in locum illorum assumi debeant, ut numerus magistrorum et studentium dicti collegii in sua semper integritate continuo perseveret.

Volumus etiam, quod nullus dictorum canonicorum ex tunc in antea reditibus, fructibus et obventionibus suae praebendae gaudeat, nisi praesens et

actu legens exstiterit, dum tamen infirmitate notabili, aut senio non fuerit impeditus, in quibus casibus deliberatione regia infirmitati compatientes humanae, ipsos fructibus et proventibus praebendarum suarum absque impedimento gaudere volumus, et potiri, decernentes, et hoc regio Boemiae statuentes edicto, quod praefati canonici singulis diebus dominicis et festivis processioni solenni, missarum et vesperarum officiis interesse debeant, privatis vero diebus solum ipsos solennitati Missae majoris interesse volumus, ut eo commodius intendere valeant eorum studiis et lecturis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae fundationis, instaurationis, dotationis, donationis, collationis, decreti, et inhibitionis paginam infringere, seu ei quovis ausu temerario contraire, sub poena mille marcarum auri purissimi, quas ab eo, qui contrafecerit, toties, quoties contra factum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, et earum medietatem regalis fisco Boemiae, residuam vero partem injuriam passorum usibus applicari.

Signum (*idem, quod pag.* 228.) serenissimi principis et domini domini Caroli quarti, Romanorum imperatoris invictissimi, et gloriosissimi Boemiae regis.

Testes hujus rei sunt: Illustres, Rudolphus, dux Saxoniae, sacri imperii archimarescallus, Otto, marchio Brandenburgensis, sacri imperii archicamerarius, principes electores. Venerabilis, Marquardus, sanctae Aquilegiensis ecclesiae patriarcha,

Joannes, Pragensis ecclesiae archiepiscopus, sedis apostolicae legatus, Joannes, Ollomucensis, nostrae imperialis aulae cancellarius, Lampertus, Spirensis, Petrus, Ulixbonensis, apostolicae sedis nuntius, Joannes, Vormaciensis, et Petrus, Curiensis, ecclesiarum episcopi. Illustres: Bolko Suidnicensis et Joannes Oppaviensis, duces. Spectabiles: Joannes Landgravius Luttemburgensis, Henricus de Schwarzburg, Joannes de Anhalt, et Purghardus Purggravius Magdeburgensis, nostrae imperialis curiae magister, comites; nobiles: Borsso de Ryssenburgk, Joannes de Wartmbergk, et Thymo de Colditz, camerae nostrae magister, et alii quam plures nostri imperii ac regni Boemiae nobiles et fideles. Praesentium sub imperialis nostrae majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, III. Calendas Augusti, regnorum nostrorum anno Roman. vicesimo primo, Boemiae vicesimo, imperii vero duodecimo.

Per dominum imperatorem
*Cancellarius.*

*A tergo:* Rv. Joannes Saxo.

Sigillum avulsum, confractum, sed aliqua ex parte reparatum.

# VII.

**Urbanus V. pont. Rom. (elect. die 28. m. Sept. a. 1362. def. die 19. m. Dec. a. 1370.) fundationem collegii Caroli (vide n. V.) literis Avenione die 10. m. Novembris a. 1366. datis apostolico munimine roborat.**

Urbanus episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

His, quae ad catholicae fidei, extra quam nemo salvatur, et sacrae theologicae facultatis fomentum ac sustentationem eidem vacare volentium facultati pie ac laudabiliter, praesertim a catholicorum munificentia principum facta sunt, apostolici libenter adjicimus muniminis firmitatem. Exhibita siquidem nobis pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum imperatoris semper augusti, ac Boemiae regis illustris petitio continebat, quod ipse nuper ad divini nominis laudem et gloriam, ac fidei et facultatis hujusmodi nutrimentum, suique regni Boemiae decus, quandam domum seu collegium duodecim clericorum, qui in artibus sint magistri, et eidem legendo et audiendo vacare debeant facultati in civitate Pragensi, in qua ex privilegio sedis apostolicae generale in qualibet licita facultate studium viget, tamquam rex Bohemiae duntaxat, cum in dicto regno civitas ipsa consistat, de novo fundavit, et collegium Caroli voluit perpetuis temporibus nuncupari, ipsamque domum de

bonis ad dominium et proprietatem regni praedicti spectantibus, sufficienter dotavit, et nonnullas salubres ordinationes in ipsa domo seu collegio servandas edidit atque fecit, prout in autenticis et patentibus literis, ejusdem Caroli sigillo et charactere signatis, quarum tenorem de verbo ad verbum, omisso charactere, praesentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte ipsius Caroli fuit nobis humiliter supplicatum, ut praemissa apostolico roborare munimine cum suppletione defectuum, si qui forent, de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi pium opus ac devotionem eximiam ejusdem imperatoris et regis, eidem catholicae fidei, et aliis pietatis operibus ferventer intentam plurimum in Domino commendantes, praedictis supplicationibus inclinati, fundationem, dotationem, et ordinationes easdem ratas et gratas habentes, illas ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis intervenerit, in eisdem.

Tenor autem dictarum literarum omisso dicto charactere, talis est: In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter, amen. Carolus quartus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, et Boemiae rex. Ad perpetuam rei memoriam. Regalis mansuetudinis gratum officium ex innatae nobis benignitatis clementia, tunc exercere digna liberalitate censemur etc. *sequuntur*

*fundationis literae integrae n. V. pag.* 231. *et sqq. exstantes.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Auinione, IV. Idus Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

G. Mercaderij.

*A tergo:* Henricus Werneri de Ribbenitze.

Bulla plumbea mutato nomine pontificibus Rom. solemnis.

---

# VIII.

Urbanus V. pont. Rom. Avenione die 1. m. Januarii a. 1367. literas Caroli IV. de canonicis ad Omnes Sanctos e magistris collegii Caroli nominandis (vide n. VI.) auctoritate apostolica munit.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad profectum vacare volentium studio literarum, et praesertim theologicae facultatis, pie ac provide facta sunt, apostolicis libenter favoribus et munimine roboramus. Exhibita siquidem nobis pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum imperatoris semper augusti, et

Boemiae regis illustris, petitio continebat, quod cum ipse tanquam rex Boemiae duntaxat in civitate Pragensi, quae principalior in regno suo Boemiae consistit, et in qua ex privilegio sedis apostolicae speciali viget studium generale in qualibet licita facultate, de novo fundaverit ac sufficienter dotaverit quoddam collegium duodecim personarum in dicto studio et civitate studere debentium, collegium Caroli nuncupatum, et eis habitationes idoneas assignaverit, idem Carolus volens personas ipsius collegii, ut eo magis vacare studio delectentur, quo ex hoc majora commoda sperarent adipisci, regiis gratiis et concessionibus praevenire, inter cetera ordinavit et statuit, quod ad canonicatus et praebendas ecclesiae capellae regalis, nuncupatae Omnium Sanctorum, sitae in castro Pragensi, ad praesentationem regis Boemiae, qui est pro tempore, pertinentes, quotiescumque aliquas ex eis vacare contingeret, nullus ad illas per regem Boemiae, qui erit pro tempore, praesentetur, nisi antiquior secundum receptionis suae ordinem de numero collegii supra dicti, et nonnulla alia statuta et ordinationes circa hoc fecit. Et ut ipsi scholares ad hujusmodi canonicatus et praebendas successive pro tempore admittendi divino cultui ac studio commodius vacare possent, quandam domum sitam in dicta civitate Pragensi prope dictam ecclesiam, et de dominio et proprietate regis Boemiae, qui est pro tempore, et regni praedicti existentem, quam quondam Bohuta, ca-

nonicus Pragensis inhabitavit, regia eis liberalitate donavit, prout in patentibus litteris praedicti Caroli sigillo munitis, suoque signo seu charactere signatis, quarum tenorem de verbo ad verbum, omisso signo seu charactere praedicto, praesentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti Caroli regis, regio duntaxat nomine, nobis fuit humiliter supplicatum, ut statutis ordinationibus et donationi praedictis robur apostolicae firmitatis adjicere cum suppletione defectuum de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque piae ipsius Caroli in hac parte devotionis affectum et studia plurimum in Domino commendantes, statuta et ordinationes ac donationem praedicta, exceptis duabus clausulis in ordinationibus ipsis appositis, quarum una est videlicet: „Quodque decanus ejusdem ecclesiae, ad quem investitura canonicorum spectare dinoscitur, ante sui approbationem, confirmationem seu quamvis assumtionem aliam, corporaliter tactis sacrosanctis evangeliis jurare debeat, nullum penitus ad canonicatus et praebendas hujusmodi admittere, instituere, seu investire quoquo modo, nisi eum, quem de numero dicti collegii juxta formam expressatam superius rex Boemiae, qui pro tempore fuerit, duxerit praesentandum, praelaturis, praepositura et decanatu, duntaxat exceptis, quas in consuetis suis ab antiquo juribus et conditionibus volumus permanere.“ (*pag.* 234.) Et alia clausula, quae talis est: „Volumus etiam, quod nullus dicto-

rum canonicorum ex tunc in antea reditibus, fructibus et obventionibus suae praebendae gaudeat, nisi praesens et actu legens exstiterit, dum tamen infirmitate notabili aut senio non fuerit praepeditus, in quibus casibus deliberatione regia infirmitati compatientes humanae, ipsos fructibus et proventibus praebendarum suarum absque impedimento gaudere volumus et potiri." (*pag.* 238.) Quas quidem clausulas, quum ipse Carolus, imperator et rex, contenta in ipsis clausulis ordinare nequiverit, a praesenti confirmatione nostra haberi volumus pro exclusis, et nullius existere firmitatis, rata habentes et grata, ex certa scientia illa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum alium, si quis intervenerit in praedictis. Et insuper dicti Caroli in hac parte desideriis annuentes, eadem auctoritate statuimus et ordinamus, quod dictus decanus tempore approbationis, confirmationis, seu assumptionis suae ad decanatum ipsius ecclesiae hujusmodi juramentum praestare, et contenta in dicta prima clausula adimplere penitus teneatur. Ac etiam volumus, et eadem apostolica auctoritate statuimus, quod nullus ex dicto collegio ad canonicatum et praebendam ipsius ecclesiae, ut praefertur, admissus, qui non sit infirmitate vel senio aut alias legitime praepeditus, fructibus, reditibus et proventibus ipsorum canonicatus et praebendae gaudere, nec eos perci-

pere possit, nisi praesens actu legens exstiterit, prout in dicta secunda clausula continetur.

Tenor vero dictarum litterarum, omisso signo seu charactere supra dicto, talis est: In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter, amen. Carolus quartus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, et Boemiae rex. Ad perpetuam rei memoriam. Sicut divina veritate testante nemo coronabitur, nisi etc. *sequitur ad verbum diploma n.* VI. *pag.* 236. *sqq. expressum.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, suppletionis, constitutionis, ordinationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Auinione, XVIII. Calend. Januar., pontificatus nostri anno quinto.

G. Mercaderij.

*A tergo:* Henricus Werneri de Ribbenitze.

Bulla plumbea usitata.

# IX.

**Carolus IV. Rom. imp. et Boem. rex, literis die 23. m. Julii a. 1367. Pragae datis collegii Caroli bona, praedia, et possessiones nominatim expressas omnium cujusvis nominis tributorum onerumque immunia declarat, et a jurisdictione quorumlibet judicum eximit, berna regali et judicio regio Bohemiae excepto. In prohibitum transcendentes poenam statuit centum marcarum argenti purissimi.**

Carolus quartus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, et Boemiae rex.

Notum facimus tenore praesentium universis: quod habito respectu ad magnam sollicitudinem praeteritam, et multiplicia studia nostri laboris, quibus Pragense studium instauravit nostra serenitas, nunc amplius quotidianis semper urgemur affectibus, ut ipso Auctore, qui prospera dedit initia, idem studium inchoatum feliciter mediis desideratis proficiat, et speratis finibus terminetur. Propter quod animo deliberato, sano principum, baronum, ac procerum regni nostri accedente consilio, non per errorem, aut improvide, sed de certa nostra scientia nostro collegio magistrorum in Praga, quod a nostro nomine Caroli collegium censeri decrevimus, hanc gratiam faciendam duximus, sub tenoribus, conditionibus et clausulis inferius annotatis, ut videlicet bona, praedia, et possessiones ejusdem collegii, super quibus idem collegium nostra celsitudo fundavit, utpote villae Poczernitz,

Drahelczitz, Vneboz (*sic*), Nenaczevicz, Holonohy, cum molendinis, rubetis, et in villa Trusscz prope Poczernicz quinque sexagen. grossorum census annui, cum omnibus earum juribus, pertinentiis, libertatibus, fructibus, proventibus, emolumentis, obventionibus universis, quibuscunque specialibus vocabulis possint designari, prout hoc in regalibus Boemiae literis nostris desuper confectis plenius expressatur, auctoritate regia Boemiae ab omnibus collectis, steüris, solutionibus, daciis, talligis, et quibuscunque ceteris oneribus realibus, et a jurisdictione quorumlibet judicum regni nostri Boemiae eximimus, absolvimus et libertamus omnimode, berna regali, et judicio regio Boemiae duntaxat exceptis, quae cum sint regalia, ab ipso regno et corona Boemiae et regibus non possunt alienari titulis quibuscunque.

Inhibemus igitur judicibus singulis, et nominatim Pragensium majoris, minoris et novae civitatum, et aliis quibuscunque censeantur nominibus, ne adversus praesentis nostrae dispositionis, concessionis, ac ordinationis seriem quicquam in praejudicium hominum et subditorum dicti collegii attemptare praesumant; nam si quid attemptaretur modo quolibet, hoc ipso facto auctoritate regia Boemiae, et de certa nostra scientia viribus vacuamus, ut nullius roboris sint ac momenti. Si quis vero adversus praesentem nostram paginam quicquam attemptare praesumpserit, ab eodem totiens, quotiens contra factum fuerit, centum marchas argenti purissimi

irremissibiliter exigi volumus, et earum medietatem nostri regalis aerarii Boemiae, residuam vero partem dicti collegii profectibus et usibus decernimus applicari. Praesentium sub imperialis nostrae majestatis sigillo testimonio literarum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, Indictione quinta, X. Calend. Augusti, regnorum nostrorum anno Romani vicesimo secundo, Boemiae vicesimo primo, imperii vero tertio decimo.

Per dnm. imperatorem
*Cancellarius.*

*A tergo:* R. Voltzo de Wormacia.

Sigillum idem, quod n. III.

---

# X.

Carolus IV. Rom. imp. et Boh. rex, datis die 23. m. Julii a. 1367. Pragae literis sancit, ut regibus Bohemiae extra limites absentibus, canonici ad Omnes Sanctos in castro Pragensi ab administratore capitaneo seu dispositore regni et regalium nominentur.

Carolus quartus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, et Boemiae rex.

Notum facimus tenore praesentium universis, quod habito respectu ad magnam sollicitudinem praeteritam, et multiplicia studia nostri laboris, quibus Pragense studium instauravit nostra serenitas, nunc amplius quotidianis semper urgemur

affectibus, ut ipso Auctore, qui prospera dedit initia, idem studium inchoatum feliciter mediis desideratis proficiat, et speratis finibus terminetur. Et cum ad omnes praebendas ecclesiae capellae regalis Omnium Sanctorum in castro Pragensi, dum et quoties easdem vacare contigerit, unus ex magistris, aut plures juxta numerum vacationis earum praesentari debeant a rege Boemiae, investiendi, inducendi, et confirmandi per decanum ecclesiae supra dictae, sicut hoc in aliis nostrae fundationis ejusdem privilegialibus litteris nostris editis desuper expressius continetur; ne igitur dictorum magistrorum praesentatio, institutio, aut confirmatio aliqua causa vel occasione vacillet, decernimus, et hoc regio Boemiae perpetue valituro sancimus edicto, quod in tempore nostrae absentiae, seu dum haeredes aut successores nostros, Boemiae reges, extra regni limites abesse continget, administrator capitaneus seu dispositor regni et regalium, quem nostra serenitas, aut haeredum et successorum nostrorum, Boemiae regum, solers diligentia tunc instituendum duxerit, sicut in ceteris, quae sibi regalis committet benignitas, etiam plenam potestatem habeat, durante tali nostra haeredum aut successorum nostrorum absentia dictos magistros ad easdem praebendas modo praedicto, et juxta praecedentium litterarum nostrarum continentiam absque impedimento quolibet praesentandi; quam praesentationem seu praesentationes, et omnia inde sequentia pro nobis,

haeredibus ac successoribus nostris, Boemiae regibus, in perpetuum vim et robur firmitatis habere volumus, perinde ac si rex Boemiae, qui pro tempore foret, ad praebendas hujusmodi magistrum, aut magistros, ut praemittitur, personaliter praesentasset. Praesentium sub imperialis nostrae majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, Indictione quinta, X. Calend. Augusti, regnorum nostrorum anno Romani vicesimo secundo, Boemiae vicesimo primo, imperii vero tertio decimo.

Per dnum. imperatorem
*Cancellarius.*

*A tergo:* R. Voltzo de Wormac.

Sigillum idem.

---

## XI.

Mag. Joannes Drsaczka (*in decanorum codice Dryska, profecto Dršika*) contra rectoris mandatum et excommunicationem ob litem de domo ad collegium Caroli pertinenti exortam ad d. Joannem archiepiscopum, tanquam universit. cancellarium provocat die 1. m. Martii a. 1372.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, Indictione decima, die prima mensis Martii, hora completorii vel quasi, in monasterio ordinis minorum ad sctum Jacobum, in ambitu ejusdem, pon-

tificatus sanctissimi in Christo patris et dui. dni. nostri Gregorii, divina providentia Papae undecimi anno secundo, in mei notarii publici, testiumque praesentia subscriptorum constitutus itaque venerabilis vir, magister Joannes dictus Drssczka, interposuit quandam appellationem, ipsam in charta papirea offerendo, seu etiam procuravit legendo, cujus tenor per omnia sequebatur in haec verba: In nomine Dni. amen. Coram Vobis honorabilibus viris, domino Nicolao, rectore universitatis Pragensis, hic praesentibus, et te Helia, auctoritate apostolica notario publico, Ego Joannes dictus Drssczka, animo appellandi propono et dico, quod licet domum, quam bonae memoriae Eghardus dictus Sapientia, bidellus universitatis supradictae, ante tempus et tempora mortis suae inhabitavit, ex donatione serenissimi regis dni. Caroli, Romanorum imperatoris semper augusti, ad collegium Caroli, videlicet magistrorum et studentium in Praga spectaverit et spectet, ac hujusmodi donatio fuerit et sit per sedem apostolicam approbata, dictumque collegium in possessione dictae domus fuerit et sit hactenus inconcusse, praesenti perturbatione excepta: tamen praefatus dns. Nicolaus rector, salva reverentia sua, perperam et inique, nullo juris ordine observato, nec dilationibus aliquibus datis vel concessis, et me et dicto collegio penitus inauditis et non confessis, nec etiam convictis legitime, quamdam scripturam, quam sententiam esse dixit, quae tamen invalida, irrita, et nulla est

ipso jure, contra me etiam in non modicum praejudicium meum et dicti collegii, cujus Ego sum persona et membrum, legi fecit, et eam sententiam appellavit, cujus tenor sequitur in haec verba: Quia dns. rector universitatis sumarie (?) per testes informatus recepto juramento, eorum parte praesente, quod facultas juris in pacifica possessione retroactis temporibus, et ex actu istius domus et scolarium, in qua possessione turbatur per reverendum virum, mgrum Joannem dictum Drssczka, jurisperitorum usus consilio, pronunciavit et declaravit, interloquendo dictum mgrum Joannem, hac eadem die debere exire detentionem possessionis, et eam dimittere cum effectu, nec de cetero turbare, monens primo, secundo et tertio, ac peremptorie, ut pareat mandatis suis per hunc totum diem, alioquin de remedio cogitabit opportuno. Et deinde quandam excommunicationem contra me et mgrum Thomam dicti collegii personam et membrum fulminavit, nisi eadem die, hoc est, hodie de domo praedicta cederemus, cum tamen idem rector nunquam habuit nec habeat potestatem, nos vel aliquem nostrum excommunicandum (*sic*). Quapropter ex praemissis sentiens, me et dictum mgrum Thomam fore aggravatos, de facto a praedicta praetensa sententia, nec non ab excommunicatione praedicta de facto praesumta, quamvis omnia praemissa sint, ut creditur, irrita atque nulla; tamen ne possint nobis in aliquo praejudicium generare, et ab omnibus et singulis gravaminibus, quae ex

processu dicti dni. rectoris collegii possent seu poterint quoquo modo, et ab ipso rectore propter praemissa, ad reverendum in Christo patrem, dnum. Joannem, archiepiscopum Pragensem ac sedis apostolicae legatum, tanquam ad cancellarium dicti nostri studii, seu ipsius locum, ratione cancellariatus, ratione hujusmodi tenentem, et alias quovis modo meliori, quo possumus, ad superiorem in his scriptis provoco et appello, apostolos primo instanter, secundo instantius, tertio instantissime peto mihi dari, si quis sit, qui eos dare velit et possit, et protestor, salvum mihi fore, praesentem appellationem corrigere, emendare, declarare, et aliam interponere, quoties mihi visum fuerit expedire.

Post cujus vero appellationis interpositionem praefatus mag. Joannes et Thomas petiverunt ipsam appellationem per me infra scriptum notarium transsumi, et in publicam formam redigi. Quod et feci. Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora, loco, pontificatu, quibus supra, praesentibus honorabilibus viris: Jenkone, liberalium artium baccal. Prag. dioecesis, Carolo, canonico Lyncopens. ecclesiae, Friderico de Novo-foro, clerico Pomezaniens. dioecesis, testibus fide dignis, ad praemissa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Helias Honsonis de Hollessaw, clericus Olom. dioecesis, publicus auctoritate apostolica notarius, dictae appellationis interpositioni una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, ipsamque

appellationem de verbo ad verbum transsumsi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis signavi, et in hanc publicam formam redegi requisitus in testimonium omnium praemissorum.

---

## XII.

Testamentum Vincentii Nydeck de Gorlicz a notario jurato, Andrea de Hamburg, die 7. m. Augusti a. 1379. conscriptum, quo praeter alia legata centum et decem adsignat marcas, quibus ara in ecclesia s. Stephani in Rybnik Neo-Pragae condatur, sacrumque instituatur, cujus collatorem perpetuum constituit rectorem universitatis.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem 1379. Indictione secunda, die 7. mensis Augusti, hora completorii vel quasi, in majori civitate Pragensi, in domo dicta ad duos leones cum uno capite, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac dni. dni. nostri Urbani, divina providentia papae VI. anno secundo, in mei notarii publici subscripti testiumque infra scriptorum praesentia constitutus personaliter discretus vir, Vincentius, dictus Nydek de Gorlicz, Missnensis dioec. per gratiam Jesu Christi sanus mente, licet languens corpore, volens animae suae de bonis sibi a Deo collatis providere salubriter, voluntatem suam ultimam disposuit in hunc modum: Inprimis quidem commisit ante omnia de bonis per eum relictis dari et restitui civi-

tati Gorlicz centum marcas polonicalis monetae, quas ab ea ultra sortem percepit minus juste. Item legavit, dedit, et assignavit centum et decem marcas ejusdem monetae pro uno altari erigendo et dotando in ecclesia s. Stephani in Ribenik novae civitatis Pragensis, et hujus altaris esse voluit et constituit honorabilem virum, rectorem universitatis studii Pragensis, qui pro tempore fuerit, perpetuum collatorem. Item assignavit et dedit octo marcas ad emendum domum unam pro pauperibus scolaribus Pragensis studii supradicti. Item legavit decem marcas ecclesiae s. Nicolai in foro pullorum majoris civitatis Pragensis. Item dedit ecclesiae s. Nicolai foris civitatem Gorlicz praedictam decem marcas. Item dedit ad fabricam ecclesiae s. Crucis foris civitatem Gorlicz erigendam decem marcas. Item assignavit Petro dicto Brendel, avunculo suo, decem marcas. Item dedit dominae Margaretae, dictae Vleckinne, et filio suo atque filiae viginti marcas. Item dedit Stephano, aurifabro in Gorlicz, tutori suo, decem marcas. Reliqua vero bona sua omnia mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia commisit testamentariis suis hic subscriptis, ut de ipsis exequias suas peragerent, et in alios pios usus converterent, prout inspirante Altissimo ipsis, aut eorum alteri videretur melius et salubrius expedire.

Istas vero pecunias praefatus Vincentius dixit se habere, et a testamentariis suis debere recipi: Primo, apud civitatem Gorlicz praedictam centum

et sexaginta marcas monetae supradictae. Item in Windischossek apud Tydericum Sabernik decem marcas. Item apud Petrum Scheffel quinque marcas. Item apud Sculteturn in Moys viginti marcas. Item apud Petrum Swarten, civem in Mois, decem marcas. Item apud Henslinum Martini, civem in Gorlicz, triginta marcas. Item apud Nittzen Widener, civem in Gorlicz, quinque marcas cum media annui et perpetui census, de quibus quinque marcis cum media possunt redimi tres solidi grossorum. Item apud Joannem Smedechin unam marcam annui et perpetui census. Item apud Tydericum Hoveman Bucener unam sexagenam grossorum minus IV grossis annui et perpetui census.

Et ad haec omnia et singula supra scripta exequenda et complenda memoratus Vincentius esse voluit et disposuit commissarios suos, hujus testamenti executores, honorabiles et discretos viros: Mag. Nicolaum de Gubin, canonicum ecclesiae Budissinensis Missinens. dioec. baccalarium in sacra pagina, et plebanum ecclesiae s. Stephani praedictae, qui pro tempore fuerit, absentes tanquam praesentes, et dominum Joannem de Mulwerg, presbyterum Missynens. dioec. praesentem, et hujusmodi executionis onus in se sponte suscipientem, quibus dedit et concessit in solidum plenam et omnimodam potestatem, praefatas pecunias, et alia bona sua quaecunque petendi, a quibuscunque ea habentibus seu tenentibus exigendi et recipiendi, et de perceptis finem, quittationem, refutationem et ab-

solutionem plenariam ac pactum de ulterius non petendo faciendi, ác omnia alia et singula supra scripta exequendi et complendi, prout ipsis, aut eorum alteri melius et utilius visum fuerit expedire, et pro praemissis aut eorum aliquo, si necesse fuerit, agendi et defendendi, libellum sive libellos, et quascunque petitiones alias dandi et recipiendi, replicandi litem, contestandi de calumnia et veritate dicenda, ac cujuslibet alterius generis juramentum licitum in animam suam praestandi, testes, instrumenta, litteras et quascunque probationes alias producendi, et producta contra se impugnandi et reprobandi, ponendi et articulandi, positionibus et articulis adversae partis respondendi, crimina et defectus opponendi, testes adversae partis jurare videndi, in ipsos et eorum dicta dicendi, exceptiones cujuscunque generis proponendi, sententiam seu sententias tam interlocutorias quam diffinitas audiendi, appellandi, apostolos petendi et recipiendi, appellationem seu appellationes prosequendi, et si necesse fuerit, beneficium absolutionis et in integrum restitutionis simpliciter et ad cautelam, quotiens opus fuerit, petendi et recipiendi; et generaliter omnia et singula faciendi, gerendi et exercendi, quae circa praemissa aut eorum aliquod fuerint opportuna, etiam si mandatum exigant speciale, et quae veri et legitimi commissarii et testamenti executores facere possunt atque debent.

Et hanc ultimam voluntatem suam memoratus Vincentius dixit, voluit et vult, quantum in eo erat

et est, valere jure testamenti vel saltem jure codicillorum aut cujuscunque alterius ultimae voluntatis. Super quibus omnibus et singulis praemissis saepedictus Vincentius requisivit me notarium subscriptum, tanquam personam autenticam, unum vel plura confici publica instrumenta. Acta sunt haec anno, indictione, mense, die, hora, loco et pontificatu omnibus, quibus supra, praesentibus honorabilibus et discretis viris: Mensone de Bekehusen, canonico ecclesiae Monasteriensis, Joanne Margenwerder, presbytero Pomezaniens. dioecesis, mgris in artibus et baccalariis in sacra pagina, Henrico de Honovere, clerico Mindensis dioec., baccalario in artibus, Nicolao Cleindinst de Gorlicz, Petro Waltheri de Lubavia, Ulmanno ex Moneta, Joanne Ermerici, clerico Missinens. dioec. et Hermanno de Elbingo, clerico Warmiens. dioec. et quam pluribus aliis fide dignis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Andreas de Hamburg, clericus Bremens. dioec. publicus imperiali auctoritate ac universitatis studii Prag. juratus notarius, praemissis omnibus et singulis una cum praenominatis testibus praesens fui, et ea sic fieri vidi et audivi, et in hanc publicam formam redegi, quam signo meo et nomine consuetis signavi, rogatus desuper et requisitus.

# XIII.

**Rector universitatis Pragensis, Blasius Lupus, altare in ecclesia s. Stephani in Rybnik Neo-Pragae a Vincentio Nydek de Gorlicz 110 marcis Pol. monetae constitutum (vide n. XII.) Joanni de Mulberg, presbytero, die 26. m. Augusti a. 1379. confert.**

Nos magister Blasius dictus Lupus, rector universitatis studii Pragensis, recognoscimus praesentibus universis: Quod cum nuper piae memoriae Vincentius dictus Nydek de Gorlicz, clericus Missnensis dioecesis in civitate Pragensi corpore decumbens, sanus mente, de omnibus bonis suis juxta ultimam voluntatem suam disponens inter cetera centum et decem marcas polonicalis monetae pro altari in salutem animae suae dotando, et in ecclesia s. Stephani in Rybenik novae civitatis Pragensis erigendo legavit, cujus rectorem universitatis studii Pragensis, qui pro tempore fuerit, esse voluit collatorem, prout in instrumentis et scriptis publicis desuper confectis plenius continetur. Nos igitur volentes dilectum nobis dominum Joannem de Mulberg, presbyterum Missnens. dioecesis, nostrae universitatis studentem, favore prosequi singulari, eidem ipsum altare, de quo praemittitur, contulimus omni eo jure, modo et forma, quibus melius potuimus, et praesentibus duximus conferendum. In cujus rei testimonium sigillum nostri rectoratus praesentibus est appensum.

Actum et datum in majori civitate Pragensi, in collegio Caroli, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono, die vicesima sexta mensis Augusti, praesentibus honorabilibus viris: Mag. Hermanno de Winterswik, cantore ecclesiae Wratislaviensis, sacrae paginae professore, mag. Gevehardo Kemyn, canonico ecclesiae beatae Virginis Erfordensis, Moguntinens. dioec. baccalario in sacra pagina, et discreto viro, domino Andrea, plebano in Crastitz Pragens. dioec., testibus in praemissis.

Sigillum vide in tabulis lithographicis exhibitum.

---

## XIV.

Literae, quibus foederis fraterni Corporis Christi antistites die 1. m. Aprilis a. 1382. ejus nomine et impensis sacellum in foro Neoprageno solemniter aedificandum, ornatu ecclesiastico instruendum, tribusque saltem ministris committendum statuunt, qui divinum officium peragant, et singulis Quatuor Temporibus defunctorum vigilias et missam decantent. Subjunguntur quaedam ipsius foederis leges.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter, amen.

Ad laudem, gloriam et honorem ejusdem magnificae Deitatis, nec non summi et incomparabilis sacramenti pretiosissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quae sunt redemtio et salus nostra, quo cottidie spiritualiter reficimur

et fovemur, in quo vitae suffragium consequimur et salutis, et quod est viaticum transitus nostri finalis, cujus laudes nec mens cogitare ad plenum, nec lingua valet edicere, ac excellentissimae et dignissimae ejus illibatae et intactae genitricis perpetue virginis beatissimae Mariae, quae est nostrae porta salutis, verum etiam beatorum martyrum Felicis et Adaucti.

Nos Jessco dictus Oczas de Zasada, Zdymirus de Sedlczie, Buzek de Heroltiçz, principales capitanei, fratream seu societatem gerentes seu facientes, cum signo circuli et malleo in medio pendente, quod vulgariter Obrucz dicitur, nostro et aliorum nostrorum sociorum nomine, ad universorum praesentis futurique temporis hominum notitiam hujus paginae serie cupimus pervenire, quod nos ducti zelo magnae devotionis et pietatis, ad exaltationem fidei catholicae, divinique cultus augmentum, de facultatibus praefatae nostrae fratreae seu societatis, et pro remedio animarum omnium nunc et in futurum, praefatam nostram fratream seu societatatem contrahentium, Dei auxilio mediante, intercedenteque consensu et voluntate serenissimi principis et domini domini Wenceslai, Dei gratia Romanorum et Boemiae regis semper augusti, ac auctoritate reverendissimi in Christo patris et domini domini Joannis, sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopi, et apostolicae sedis legati, capellam sub vocabulo et nomine ac honore praefati sanctissimi corporis et sanguinis Domini Jesu Christi,

Redemtoris et Salvatoris nostri, ac intemeratae virginis Mariae, et memoratorum sanctorum, Felicis et Adaucti, martyrum, in medio fori novae civitatis Pragensis, in loco, in quo reliquiae armorum Domini nostri Jesu Christi, et aliorum quam plurimorum sanctorum annuatim ostendi sunt consuetae, fundavimus et fundamus, solemnique fabrica, et aedificio intendimus ac spondemus consummare, nobisque et futuris nostrae societatis fratribus nomen fundatorum et jus patronatus reservantes, et omnimodam dispositionem et tuitionem ejusdem, quam etiam insigniis ecclesiasticis ac ornamentis, ac tribus vel etiam pluribus ministris perpetue ibidem cum convenientibus ipsorum stipendiis et dotibus beneficiandis disponimus insignire, ordinantes, ut ibidem divinum officium solemniter et devote peragatur; et hanc legem praefatae capellae ministris imponimus, ut ipsi iidem ministri, qui fuerint pro tempore, perpetuis futuris temporibus in singulis Quatuor Temporibus anni solemnes defunctorum vigilias cum una missa defunctorum debeant decantare pro animabus fratrum et sociorum fratreae et societatis praedictarum, insuper ad mutuam fidem et caritatem fraternam nos, et futuros nostros fratres et socios adstringentes. Volumus tamen, quod quemadmodum unus quilibet liberum habet arbitrium fratream et societatem nostram intrandi, ita etiam habeat liberam voluntatem, cum voluerit, eandem etiam fratream seu societatem exeundi, solutis tamen prius pro memoriali fratreae

et societati nostrae quinque sexagenis grossorum denariorum monetae Pragensis, ad quod et nos et nostros successores futuros fratres et socios obligamus; addicientes nihilominus, quod capitaneis nostris praesentibus vel futuris ad hoc legitime electis sine contradictione et dolo humiliter et reverenter obediatur in omnibus licitis et honestis; in quorum omnium firmius robur et evidentiam pleniorem praesentes litteras fieri mandavimus, et nostrorum ac aliorum sociorum appensione sigillorum fecimus communiri.

Datum et actum Pragae, in monasterio Zderasiensi dictae novae civitatis Pragensis, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, die prima mensis Aprilis.

Sigilla quadraginta laciniis membraneis pendentia. His, ultimo excepto, nomina inscripta sunt sequentia:

1) Jessco Oczass de Zasady. 2) Zacharias de Swynek(?). 3) Zdymir de Sedlecz. 4) Buzek de Heroltiez. 5) Vitkonis praepositi s. Egidii. 6) Stephan Podusska de Ugiezdecz. 7) Procopius Bohuslai. 8) Jessko Czuch de Zasady. 9) Jessco Kozel de Zasady. 10) Jo. doctor decretorum, praepositus Zderasiensis. 11) Cunrat de Raussansdorff. 12) Oldrich de Wlcziehora. 13) Wenczeslaus de Burnicz. 14) Otyk parvus de Polep. 15) Smyl Wolfinberg. 16) Theodr. Hossczalek. 17) Pechanecz Ssybal. 18) Jessco Busschower. 19) Ulricus de Ugezd. 20) Wssech de Rohow. 21) Petrus de Dubnicz. 22) Ulricus de Pacziegyew. 23) Schtyech de Lopucz (*cujus sigillum avulsum*). 24) Wenc. Colomanni, expensarum regalium prothonotarius. 25) Cunradus de Luticz. 26) Marquardus Porzceschin. 27) Arnosti de Sowogevicz. 28) Salda Zrobuss. 29) Jesco de Svlislaw. 30) Caspar de Wensdorf (*vox rasa*). 31) Nicol. de Borotin. 32) Joannis militis de Rozdialouicz. 33) Odolen Pisselka. 34) Petri Quas. 35) Jo. Porcelli. 36) Nicolai Rot. 37) Cztibor Tlam. 38) Przybislaus, decanus Pragensis. 39) Petrus de Wserob, can. Pragens. 40) Zdenko, crucif. cum stella supr. mag.

# XV.

**Wenceslaus IV. Romanorum et Bohemiae rex, literis die 28. m. Augusti a. 1383. Pragae datis collegium Caroli e domo Lazari transfert in domum Rotlewi.**

Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex.

Notum facimus tenore praesentium universis, quod licet alias recolendae memoriae serenissimus ac invictissimus princeps et dominus dominus Carolus, Romanorum imperator semper augustus, et Boemiae rex, dominus et genitor noster carissimus, pro vigore et augmento generalis studii in civitate nostra majore Pragensi, quod ipse de gratia sedis apostolicae, nec non principum et baronum regni Boemiae consensu, rite et rationabiliter fundare et instaurare decrevit collegium solemne, cuique ex nomine suo felicibus auspiciis nomen imposuit, ut collegium Caroli perpetuis temporibus appelletur, pro inhabitatione et comdo (*sic*) magistrorum et studentium praedicti collegii domum quandam in civitate praedicta, quae quondam Lazari Judaei fuerat, et nunc collegium Caroli dicitur, cum suis finibus et circumstantiis omnibus, prout ab aliis attingentibus eam domibus antiquitus est distincta, dederit, donaverit, et liberaliter attribuerit, prout in ipsius clarissimi genitoris nostri literis lucidius continetur. Tamen attendentes et animo regio ratione praevia lim-

pide meditantes, habitationem eandem propter nonnulla magistrorum et studentium incommoda, certisque aliis causis notabilibus, eisdem non fore utilem, et per omnia commodosam, animo deliberato, sanoque principum, baronum, et procerum fidelium nostrorum accedente consilio et consensu, eisdem magistris, collegio Caroli, et ipsius collegii studentibus nomine verae permutationis et cambii rationabilis pro eadem domo Lazari, et ipsius loco, domum situatam in novo foro dictae nostrae civitatis Pragensis, quam olim Johlinus Rotlewi ex opposito ecclesiae s. Galli aedificavit, quae et hodie domus Rotlewi communiter nuncupatur, cum omnibus suis finibus, et circumferentiis, prout ab aliis contingentibus ipsam domibus circumferentialiter distincta dinoscitur, dedimus, donavimus et tenore praesentium de certa nostra scientia, nec non auctoritate regia Bohemiae liberaliter conferimus et donamus, volentes expresse, nec non inviolabiliter edicto regio decernentes, ut iidem magistri et studentes, et collegium dictum Caroli eandem domum Rotlewi sub omnibus et singulis juribus, ritibus, honoribus et consuetudinibus inhabitare et possidere pacifice debeant, quibus antea domum quondam Lazari habuisse, possedisse, et inhabitasse noscuntur, impedimentis et inquietationibus quibuslibet procul motis. Praesentium sub regiae nostrae majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, Indictione sexta, quinto Calendas Septembris, regnorum nostrorum anno Bohemiae vicesimo primo, Romanorum vero octavo.

Ad mandatum d. regis referent. dominis Thimone de Coldicz, et Henrico de Duba, P. Jawren.

*A tergo:* R. Benessius de Nachod.

---

# XVI.

Wenceslaus IV. Rom. et Boh. rex, literis die 28. m. Augusti a. 1383. Pragae datis jura collegio Caroli a patre suo Carolo IV. literis die 30. m. Julii a. 1366. item Pragae datis circa capitulum Omnium Sanctorum in arce Pragensi (vide n. VI.) adserta confirmat.

Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex.

Notum facimus tenore praesentium universis, quod accedentes serenitatis nostrae praesentiam honorabiles magistri et studentes Pragensis collegii, dicti Caroli, devoti nostri dilecti, cum videant translationem domus eorum fieri in aliam, nobis humiliter supplicaverunt, quatenus ipsis et eidem collegio quoddam privilegium recolendae memoriae quondam serenissimi nostri praegenitoris, domini Caroli, Romanorum imperatoris et Boemiae regis, super quibusdam certis gratiis ipsis

datum et concessum approbare, ratificare, innovare, et confirmare auctoritate regia Boemiae gratiosius dignaremur. Cujus quidem privilegii tenor per omnia sequitur in haec verba: In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter, amen. Carolus quartus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, et Boemiae rex, ad perpetuam rei memoriam. Sicut divina veritate testante nemo coronabitur, nisi etc. *sequitur ad verbum diploma n. VI. pag. 236. sqq. exstans.*

Nos igitur attendentes, et limpida consideratione pensantes augmentum et meliorationem studii praedicti, et ad laudem Dei omnipotentis, ac etiam reipublicae, nec non regni nostri Boemiae et ipsius principatus salutem et profectum cooperari plurimum, ipsorum magistrorum, studentium et collegii supplicationibus rationabilibus benignius inclinati, ipsis et eorum posteris ac praefato collegio supra scriptum privilegium in omnibus suis articulis, punctis et clausulis, prout de verbo ad verbum superius expressatum est, animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed maturo principum et procerum fidelium nostrorum accedente consilio approbamus, ratificamus, innovamus, et de certa nostra scientia, nec non auctoritate regia Boemiae liberaliter confirmamus, mandantes universis et singulis principibus ecclesiasticis et saecularibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, burggraviis, judici-

bus, magistris civium, consulibus, et juratis civitatum, oppidorum et villarum communitatibus, nec non omnibus et singulis nostris ac regni nostri Boemiae fidelibus, quatenus praedictos magistros, studentes, et collegium in supra scripto privilegio et omnibus in eo contentis in parte, vel in toto, quomodolibet non impediant, nec impediri permittant per quempiam, sed potius nostro nomine efficaciter manu teneant, et defendant, prout indignationem nostram gravissimam voluerint evitare, Praesentium sub regiae nostrae majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, Indictione sexta, quinto Calendas Septembris, regnorum nostrorum anno Boemiae vicesimo primo, Roman. vero octavo.

Ad mandatum regis referentibus
d. Henrico de Duba, et Thimone
de Colditz. P. Jawern.

*A tergo:* R. Benessius de Nachod.

Sigillum regis Wenceslai, cujus descriptionem lege in diplom. n. XLIX.

# XVII.

**Urbanus VI. pont. Rom. (elect. die 9. m. Aprilis a. 1378. (1377.) def. die 15. m. Octobris a. 1389.) literis apud Vallemontonum Signiens. dioec. die 31. m. Augusti a. 1383. datis praepositos Moguntinensem et Wratislaviensem, atque decanos ecclesiae ad Omnes Sanctos in arce Pragensi universitatis Pragensis conservatores creat, cujus provinciae vi et auctoritate magistros, doctores et scholares ab injuriis, damnis et molestiis contra quemlibet apostolicae sedis nomine defendant tueanturque, invocato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.**

Urbanus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis praeposito Maguntinensi, et Wratislaviensi, ac omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decanis salutem et apostolicam benedictionem.

In supremae dignitatis specula licet immeriti disponente Domino constituti, dignum censemus et debitum, ut personis litterarum studiis insistentibus, per quae divini nominis et fidei catholicae cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, favores gratiosos et opportunae commoditatis auxilia liberaliter impendamus.

Sane dilectorum filiorum, magistrorum, et doctorum, ac scolarium universitatis studii Pragensis conquestione percepimus, quod nonnulli archiepiscopi, et episcopi, ac alii ecclesiarum et

monasteriorum praelati, et clerici, ac ecclesiasticae personae tam religiosae, quam etiam saecu-lares, nec non duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum, et aliorum locorum, ac aliae singulares personae civitatum et dioecesium et aliarum partium diversarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, praefatos magistros, doctores et scolares super bonis, et rebus eorum, ac privilegiis et libertatibus eis concessis, et alias diversis et gravibus jacturis et injuriis ac violentiis affligere, et molestare praesumunt. Quare pro parte ipsorum magistrorum, doctorum et scolarium nobis fuit humiliter supplicatum, ut, quum eis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere eis super praemissis paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus injuriatores, molestatores, ac praesumptores hujusmodi, illo volentes eisdem magistris, doctoribus et scolaribus remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus comittendi similia praecludatur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus: Quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis, conservatores et judices eisdem magistris, doctoribus et scolaribus praedicti studii, praesentibus et futuris efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eosdem a prae-

dictis vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis gravamina, seu damna, aut injurias irrogari, facturi eisdem magistris, doctoribus, et scolaribus, cum ab eis, vel eorum procuratoribus, seu eorum aliquo fueritis requisiti, de praedictis, et aliis personis quibuslibet, super quibuscunque violentiis, molestiis, injuriis atque damnis, praesentibus et futuris, in illis videlicet, quae judicialem requirunt indaginem summarie, et de plano sine strepitu et figura judicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, justitiae complementum, molestatores, praesumptores et injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis exstiterint, quandocunque et quotienscunque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii, Papae VIII. praedecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioeceseos ad judicium evocetur, seu, ne judices et conservatores a sede deputati praedicta extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii, vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam diaetam a fine dioeceseos eorumdem trahere praesumant, dummodo ultra duas diaetas aliquis auctoritate

praesentium non trahatur; seu quod de aliis, quam de manifestis injuriis et violentiis, et aliis, quae judicialem requirunt indaginem, poenis in eos, si secus egerint, et in id procurantes, adjectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus a praedecessoribus nostris, Romanis pontificibus, tam de judicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quae nostrae possent in hac parte jurisdictioni aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare; seu si aliquibus communiter vel divisim a praedicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint, per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi, et eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia indulgentia dictae sedis generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam nostrae jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit de verbo ad verbum in nostris literis mentio specialis.

Ceterum volumus, et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prae-

peditus, quodque a dato praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus, et eorum singulis coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris perpetuata potestas et jurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et jurisdictio vestra, et cujuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum exstitisset, constitutione praedicta super conservatoribus, et alia qualibet in contrarium edita non obstante, praesentibus post viginti annos minime valituris.

Datum apud Vallemontonum Signiens. (?) dioeceseos, II. Cal. Septembris, pontificatus nostri anno sexto.

C. Mardus Joan. de Malesicz.
Ja. de Papia.

*A tergo:* B. de civitate.

Bulla plumbea consueta.

# XVIII.

**F. Raymundus, sac. ordinis Praedicatorum magister generalis, cunctos universitatis Pragensis cujuscunque dignitatis vel muneris sodales in ordinis sui sodalitium recipit, quo omnium precum et meritorum ejusdem reddantur participes. Hinc defunctorum nomina Priori Pragensi significent, qui eadem ad capitulum generale deferat. Sacris peragendis, conciliisque habendis capellam s. Vincentii adsignat.**

Venerabilibus viris, ac in Christo sibi dilectis, dno. rectori, reverendis magistris in sacra pagina, baccalariis facultatis ejusdem, nec non doctoribus, et magistris, ac baccalariis, tam in artibus, quam in medicina, et studentibus universis omnium facultatum supradictarum universitatis Pragensis. Frater Raymundus, ordinis fratrum Praedicatorum humilis magister et servus, salutem et Christi ecclesiam aedificare, tam doctrina veridica, quam operibus virtuosis. Quia virtuosi propositi desiderium ex humanae infirmitatis conditione a suo salutari saepius retardatur effectu, nisi divinis suffragiis obtentis supplicatione fidelium adjuvetur, et noviter illo inspirante, ut arbitror, qui unanimes facit in domo sanctae ecclesiae habitare, propter studium per me assignatum in conventu Pragensi ordinis mei inchoata est inter vestram honorabilem universitatem, et fratres ejusdem ordinis quaedam caritativa fraternitas et unio amicitiae virtuosae, ut magis ac magis caritas ipsa sic

a Deo concessa per ministerium meum abundet, vobis et cuilibet vestrum omnium missarum, orationum, predicationum, jejuniorum, abstinentiarum, vigiliarum, laborum, ceterorumque bonorum, quae per fratres nostri ordinis dns. Jesus Christus per mundum fieri dederit, universim participationem concedo tenore praesentium specialem in vita pariter et in morte; volens insuper, ut cum obitus cujuslibet vestrum in nostro generali capitulo fuerit nuntiatus, pro vobis missae, et orationes, et alia suffragia injungantur, sicut pro fratribus nostri ordinis defunctis fieri consuevit, ut multiplici suffragiorum praesidio et hic augmentum gratiae, et in futuro mereamini aeternae vitae praemium possidere. Quod ut efficacius observetur, praecipio Priori Pragensi, qui pro tempore fuerit, quod nomina defunctorum universitatis ejusdem sibi per vos dnum. rectorem, vel per alium ex parte vestra tradita mittat per diffinitorem provinciae Boemiae ad capitulum generale. Insuper pro fortiori colligatione mutuae conversationis inter vos et fratres meos praefatos tenore praesentium pro servitio universitatis vestrae tam in missis celebrandis, quam in particularibus consiliis seu congregationibus per vos fiendis, quam etiam in quibuscunque aliis vobis opportunis et placitis sive in vita sive in morte deputo capellam s. Vincentii positam in capitulo conventus Pragensis supradicti, cujus unam clavem volo per vos dnm. rectorem teneri, ut liberum possit habere accessum in per-

petuum, prohibens cuique me inferiori, ne in hoc vos valeat quomodolibet impedire. In quorum rei testimonium praesentes literas fieri feci, et sigillo mei officii communiri.

Datum Pragae, vicesima die mensis Aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto.

Sigillum pendulum, oblongum, a tergo convexum, imagiginem Crucifixi monachumque flectentem exhibet. Circumscripta verba: S. Fratris Raymundi sacri ordinis fratrum Praedicatorum M.

---

# XIX.

Urbanus VI. pont. Rom. literis die 9. m. Decembris a. 1384. Luceriae Christianorum datis Joanni, archiepiscopo Pragensi, negotium mandat confirmandi ratamque habendi translationem collegii Caroli e domo Lazari in illam Rotlewi.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei. Venerabili fratri, archiepiscopo Pragensi, salutem, et apostolicam benedictionem.

Humilibus et honestis supplicum votis libenter annuimus, et ea, quae ad utilitatem, et profectum vacare cupientium studio litterarum, et praesertim theologicae facultatis provide facta sunt, ut illibata persistant, libenter adjicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio pro parte carissimi in Christo filii nostri Wenceslai,

Roman. et Boemiae regis illustris, nobis nuper exhibita continebat, quod olim clarae memoriae Carolus, Roman. imperator, et Boemiae rex, ejusdem Wenceslai genitor, tamquam rex Boemiae duntaxat, in civitate Pragensi, quae principalior civitas in regno suo Boemiae existebat, prout existit, et in qua ex privilegio sedis apostolicae speciali vigebat, prout viget studium generale in qualibet licita facultate, de novo fundavit, et sufficienter dotavit quoddam collegium duodecim magistrorum et scolarium in civitate ac studio praedictis studere debentium, collegium Caroli nuncupatum, et eis habitationes idoneas assignavit, et ut personae ejusdem collegii eo magis vacare studio delectarentur, quo ex hoc majora commoda se sperarent adipisci: idem Carolus, imperator et rex, inter cetera statuit, et ordinavit, quod ad canonicatus et praebendas ecclesiae Omnium Sanctorum capellae regalis nuncupatae, sitae in castro Pragensi, ad praesentationem regis Boemiae, qui est pro tempore, pertinentes, quotiescunque aliquos ex eis vacare contingeret, nullus ad illos per regem Boemiae, qui esset pro tempore, praesentaretur, nisi antiquior secundum receptionis suae ordinem de numero collegii supra dicti, et nonnulla alia statuta et ordinationes circa hoc fecit, et ut ipsi magistri et scolares ad hujusmodi canonicatus et praebendas successive pro tempore admittendi divino cultui ac studio commodius vacare possent quandam domum in dicta civitate Pragensi sitam,

et de dominio et proprietate regis Boemiae, qui est pro tempore, et regni praedicti existentem, quae quondam Lazari Judaei fuerat, eis donavit, prout in patentibus litteris praedicti Caroli sigillo munitis, suoque signo seu charactere signatis, plenius dicitur contineri; quodque postmodum felicis recordationis Urbanus, papa V., praedecessor noster, ordinationes et donationem praedictas, quibusdam clausulis exceptis et exclusis, ex certa scientia auctoritate apostolica confirmavit, supplendo omnem defectum, si quis intervenisset in eisdem, prout etiam in ejusdem praedecessoris litteris inde confectis plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, idem Wenceslaus rex attendens, quod dicta domus, quae quondam Lazari Judaei fuerat, praefatis magistris et scolaribus non erat utilis, nec per omnia commodosa, quandam domum sitam in novo foro praedictae civitatis Pragensis, prope ecclesiam s. Galli, quam quondam Joannes Rotlewi construxit, et domus Rotlewi vulgariter nuncupatur, nomine merae permutationis et cambii rationabilis cum omnibus suis finibus et circumstantiis, prout ab aliis domibus ipsam contingentibus est distincta, ac omnibus et singulis juribus, ritibus, honoribus, et consuetudinibus, quibus ipsam domum quondam Lazari Judaei habuerant, inhabitaverant, et possederant, dictis magistris et scolaribus donavit, et realiter assignavit, dictumque collegium Caroli, et dictos magistros ac scolares una cum omnibus

juribus, ritibus, honoribus, et consuetudinibus, quibus dictam domum Lazari Judaei habuerant, possederant, et inhabitaverant, ad ipsam domum, quae fuerat quondam Joannis Rotlewi, realiter transtulit, ac privilegium per dictum Carolum, genitorem suum, concessum in omnibus suis articulis, punctis, et clausulis, animo deliberato, et accedente ad id maturo consilio principum, et baronum, ac procerum dicti regni approbavit, ratificavit, et innovavit, ac ex certa sua scientia, et auctoritate regia Boemiae confirmavit, prout in diversis patentibus litteris inde confectis, et ejusdem Wenceslai regis sigillo munitis, dicitur plenius contineri.

Quare pro parte ejusdem regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut hujusmodi permutationem, donationem, assignationem, et translationem, nec non approbationem, ratificationem, innovationem et confirmationem per ipsum regem, ut praefertur, factas, ratas et gratas habere, illasque auctoritate apostolica de speciali gratia ex certa scientia confirmare dignaremur. Nos igitur de praemissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus: quatenus, si est ita, permutationem, donationem, assignationem, et translationem, nec non approbationem, ratificationem, innovationem, et confirmationem praedictas per eundem regem, ut praefertur, factas

auctoritate apostolica ratifices, ac approbes, et confirmes.

Datum apud castrum civitatis Luceriae Christianorum V. Idus Decembris, pontificatus nostri anno septimo.

T. Fabri.

Bulla plumbea consueta.

---

# XX.

Joannes, archiepiscopus Pragensis, literis Pragae die 28. m. Septembris a. 1385. datis, jubente Urbano VI. Rom. pont. translationem collegii Caroli e domo Lazari in eam Rotlewi a rege Wenceslao agitatam apostolicae auctoritatis delegatae munimine firmat.

Joannes, Dei gratia sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, ad universorum tenore praesentium deducimus notitiam. Quia sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Urbanus, divina providentia papa sextus, suas nobis literas apostolicas more Romanae curiae bullatas destinavit, quas cum literis serenissimi principis et domini domini Wenceslai, Dei gratia Romani regis semper augusti, et Boemiae regis, sigillo magno rotundo majestatis suae de cera communi alba, in cujus sigilli medio imago unius regis in majestate sua in sede sedentis, sceptrum in manu dextra, et in sinistra unum po-

mum sursum erectum tenentis, et a parte qualibet ejusdem imaginis unus clipeus, in quorum uno a parte sinistra unus leo, et ab alia parte dextra in secundo una aquila sculpta videbantur, et apparebant, literae vero circumferentiales ejusdem sigilli ut prima facie apparebant, erant istae: Wenceslaus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex; alio vero secreto sigillo eidem majori a tergo impresso de cera rubea, in cujus sigilli medio quasi duae aquilae videbantur, in filis sericeis nigri et glauci coloris pendente, sigillatas in viam probationis subscriptorum, non rasas, non cancellatas, non abolitas, non vitiatas, nec in aliqua ipsarum parte suspectas et corruptas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, nobis praesentatas, pro parte venerabilium virorum, magistrorum collegii Caroli studii generalis recepimus, quarum literarum apostolicarum tenor sequitur per omnia in haec verba: Urbanus episcopus, servus servorum Dei. Venerabili fratri, archiepiscopo Pragensi, salutem et apostolicam benedictionem. Humilibus et honestis supplicum votis libenter annuimus etc. *ad verbum literis praecedentibus p. 278. consona.*

Tenor autem literarum regalium antedictarum praesentibus non inseritur, quia in tabulis terrae regni Boemiae est descriptus. Post quarum literarum praesentationem et receptionem mandata apostolica exequi, et eis firmiter obedire volentes, ut tenemur, super narratis et commissis,

nobis per praefatum dominum nostrum, dominum Urbanum, papam sextum, in suis literis apostolicis supra scriptis, diligentem et opportunam et distinctam fieri fecimus inquisitionem a testibus nonnullis fide dignis, juramento ipsorum singulariter singulorum de dicenda veritate praecedente, quorum quidem testium dictis, consequenter per nos visis, et exacta diligentia recensitis, etiam re subjecta oculis reperimus ita esse, ut in literis apostolicis antedictis de permutatione, donatione, assignatione, translatione, approbatione domorum quondam Lazari Judaei, et Joannis Rotlewi supra dictarum, et aliis finibus et circumstantiis in ipsis literis apostolicis designatis narratur, exprimitur, et mandatur.

Idcirco tradita et concessa per dictum dominum nostrum Urbanum, papam sextum, potestate et auctoritate, accedente ad hoc sano jurisperitorum consilio et assensu, ex dicta inquisitione reali, cum etiam constet et clareat et sufficienter probatae existant per literas regales antedictas in viam, ut praedicitur, probationis oblatas permutatio, donatio, assignatio, translatio, approbatio, et alia in ipsis literis expressata, videanturque evidenter, et cuilibet intuenti, in commodum et utilitatem dictorum magistrorum evenire, easdem permutationem, donationem, assignationem, translationem, nec non approbationem, ratificationem, innovationem, et confirmationem in omnibus ipsarum punctis, clausulis et articulis, prout in literis apostolicis supra scriptis sunt

distinctae, designatae et notatae, ratificamus, approbamus, et de certa nostra scientia dicta auctoritate apostolica Dei nomine confirmamus, domumque Joannis quondam Rotlewi magistris collegii Caroli antedictis pro domo quondam Lazari Judaei, quam iidem magistri inhabitaverunt in civitate Pragensi majori, applicamus, annectimus, et unimus, prout de praemissis et aliis incidentibus in tabulis terrae Boemiae claret antedictis. In quorum omnium fidem et robur ac testimonium praemissorum praesentes nostras literas per Petrum de Luticz, notarium publicum et causarum (*scribam*), coram nobis infra scriptum scribi et publicari mandavimus, ejusque signo et nomine solitis et consuetis, ac sigillorum nostrorum appensione jussimus communiri.

Acta sunt haec in curia nostra archiepiscopali Pragensi, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quinto, Indictione octava, die vicesima octava mensis Septembris, hora tertiarum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, dni. Urbani divina providentia papae sexti anno octavo, praesentibus venerabilibus et circumspectis viris dominis: Nicolao Puchnik, licentiato in decretis, officiali curiae archiepiscopalis Pragensis, Przibislao, decano ecclesiae Pragensis, Wenceslao de Jenczenstein, praeposito ecclesiae s. Christophori in Tyn Pragensis dioeces., Mathia de Scrampnik, decretorum doctore, vicario nostro in spiritualibus generali, Borssone de Kbel et Jo-

anne de Duba, notariis publicis, et aliis multis circa praemissa fide dignis.

Et ego Petrus natus quondam Henrici de Luticz Pragens. dioec. publicus auctoritate apostolica notarius et scriba causarum, coram supra dicto reverendissimo in Christo patre et domino domino Joanne, sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopo, apostolicae sedis legato, et commissario supra dictarum literarum apostolicarum et regalium, praesentationi, receptioni, inquisitioni, reparationi, approbationi, confirmationi, annexioni, applicationi, et mandatis, omnibusque aliis et singulis suprascriptis, dum sic per praefatum dominum archiepiscopum commissarium, et coram eo fierent et agerentur, una cum antedictis praesens fui testibus, eaque omnia sic fieri vidi et audivi, praemissaque omnia, aliis meis arduis occupatus negotiis, per alium notarium fideliter scribi procuravi, et facta prius diligenti auscultatione cum literis originalibus antedictis, quas cum praesentibus simul concordare inveni, me hic manu mea propria subscripsi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis una cum appensionibus sigillorum domini domini archiepiscopi commissarii consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

Sigillum archiepiscopi pendulum, cereum, oblongum, cujus in tergo sig. minus cerae rubrae est impressum.

# XXI.

**Literae auctoritatis a mag. Joanne Marienwerdir, canonico rel. ord. Teutonicorum die 16. m. Augusti a. 1387. commissae magistris Nicolao de Gubyn, et Nic. Storch, resignandi canonicatum ad Omnes Sanctos in castro Pragensi.**

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, Indictione decima, XVI. die mensis Augusti, hora IX. vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et dni. nostri, dni. Urbani, divina providentia Papae sexti anno decimo, in castro Marienwerdir reverendi in Christo patris ac dni. dni. Joannis, episcopi Pomezaniensis, in praesentia mei notarii publici infra scripti, et testium subscriptorum honorabilis ac discretus vir, mag. Joannes dictus Marienwerdir, sacrae theologiae professor, ac canonicus religiosus ordinis beatae Mariae domus Teutonicorum ecclesiae Pomezaniensis constitutus, fecit, constituit et melioribus via, modo, et forma, quibus potuit, ordinavit suos veros et legitimos actorum factores, negotiorum gestores, ac nuntios speciales, honorabiles viros ac dominos, mag. Nicolaum de Gubyn, sacrae theologiae professorem, canonicum ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi, et Nicolaum Storch, sacrae theologiae baccal. collegii regis Wenceslai collegam, absentes tanquam praesentes ambos, et quemlibet eo-

rum in solidum, ita tamen, quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi valeat, et finire, ad insinuandum, intimandum, et in publicum deducendum beneficium ecclesiasticum, videlicet canonicatum et praebendam, quod vel quos ante et dudum in ecclesia Omnium Sanctorum castri Pragensis obtinuit et possedit, propter religionis ingressum et professionem factam jam de facto vacare, dans et concedens eisdem suis procuratoribus plenum mandatum, liberam ac omnimodam potestatem et administrationem, ad resignandum pure et libere ac simpliciter, vel ad cautelam dictum beneficium, videlicet canonicatum et praebendam in manus praepositi, decani, ceterorumque dominorum canonicorum, et totius capituli praedictae ecclesiae Omnium Sanctorum, quod vel quos ante religionis ingressum obtinuit, ut praemittitur, et possedit, et ab onere dicti beneficii absolvi petendum, et omnia alia et singula faciendum, quae in praemissis fuerint necessaria seu opportuna, et quae ipse faceret seu facere posset, si personaliter interesset, etiam si mandatum exigant speciale.

Acta sunt haec anno, indictione, mense, die, hora et loco, quibus supra, praesentibus honorabilibus et discretis viris: Mag. Matthaeo de Crakovia, professore sacrae theologiae, praeposito s. Aegidii Wratislav. dioec. et praenominatae ecclesiae canonico, dno. Joanne de Pusilia, offic. cur. Pomezaniens., Nicolao Doring de Polkenhayn, Wra-

tislav. dioec., Francisco, laico Misnens. dioec., testibus fide dignis ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Jacobus Joannis de Poestelyn, clericus Pomezaniensis dioec. publicus imperiali auctoritate notarius, praemissae procurationis constitutioni, ac omnibus aliis et singulis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et in hanc publicam formam redegi, quam signo meo et nomine consuetis signavi rogatus desuper et requisitus in testimonium omnium praemissorum.

---

# XXII.

**Nicolaus de Provin, praepositus domus collegii Caroli, Joannis de Aquisgrano vicini aedificationi muros dictae domus laedenti intercedit suo et magistrorum collegiatorum nomine per tabulam publicam ab universitatis notario publico die 12. mensis Junii a. 1387. confectam.**

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, Indictione decima, die duodecima mensis Junii, hora nona vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Urbani, divina providentia papae sexti anno decimo, in majori civitate Pragensi, in domo posteriori do-

mus habitationis honesti viri, Joannis de Aquisgrani, alias de Ach, civis dictae civitatis Pragensis, versus forum sancti Galli protendente, et contigua domui collegii Caroli, in mei notarii publici infra scripti, et testium praesentia subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum constitutus personaliter honorabilis vir, dominus Nicolaus dictus Provin, mag. in artibus, et baccalarius in sacra theologia, praepositusque tunc domus collegii Caroli antedicti, protestatus est publice suo et magistrorum collegiatorum praedicti collegii Caroli nomine, quod ipse Joannes de Aquisgrani seu de Ach, praedictus civis, rumpit et rupit murum et muros dictae domus ipsorum collegii Caroli, trabesque suas imposuit et imponit, inibi construendo contra et praeter voluntatem omnimodam ipsius, et magistrorum praedicti collegii, in manifestum ipsorum et dictae domus eorum praejudicium et detrimentum, indebite et minus juste; protestans nihilominus idem dominus Nicolaus, praepositus dicti collegii Caroli, expresse nomine, quo supra, quod hujusmodi murorum ruptio et in eisdem constructio non sit, nec est de ipsius, nec magistrorum praedicti collegii consensu univolo vel voluntate, requirens laboratores et muratores praedicti Joannis de Ach ibidem praesentes, et dictos muros rumpentes, et inibi construentes, et specialiter et nominatim quemdam Wankonem, muratorem de Porziecz de nova civitate Pragensi, magistrum, ut dicebatur, structurae hujusmodi, ne

ipsi vel ipse de cetero murum et muros dicti collegii rumpant, vel inibi construant, rumpat vel construat, nuntians eisdem novum opus, et in signum nuntiationis novi operis dominus Nicolaus Provyn, praepositus collegii Caroli saepe dictus, accepto lapillo, ipsum misit et projecit in praedictam structuram et in ipsam murum, petens sibi, de prasmissis omnibus et singulis nomine, quo supra, per me notarium publicum subscriptum, confici unum vel plura, publicum seu publica instrumenta.

Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra; praesentibus honorabilibus et honestis viris: Alberto dicto Engelschalch de Straubinga, dioecesis Ratisbonensis, Jacobo dicto Bricen, dioecesis Brandemborgensis, magistris in artibus, collegiatis praedicti collegii Caroli, et Philippo de Sudermannia, dioecesis Strenginensis, studente in artibus, clerico, et aliis pluribus fide dignis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Joannes, quondam Nicolai Furmann de Budweyns, clericus Pragens. dioecesis, publicus auctoritate imperiali ac universitatis studii Pragensis juratus notarius, supradictis, protestationi, requisitioni, ac aliis omnibus et singulis praemissis, dum sic fierent, ut praemittitur, et agerentur, unacum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, manu propria conscripsi, et in hanc publicam formam

redegi, signoque et nomine meis solitis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

---

## XXIII.

**Lite de mag. Conrado Beneschaw in collegium Caroli duodecimo cooptato exorta, quatuor nationum magistri per delectum de modo et ordine legendi collegiatum duodecimum dicti collegii conveniunt, eumque die 20. m. Aprilis a. 1390. per hasce literas publicas firmum ratumque habent.**

In nomine Domini, amen. Nos Bartholomaeus Turgelaw (*Torglowe*), professor, et Albertus Engelschalch, baccalarius sacrae theologiae, magistri in artibus, arbitri, arbitratores, et amicabiles compositores, pro parte honorabilium ac scientificorum virorum, dominorum Stephani de Colonia, praepositi, Joannis Wyncleri, baccalarii formati, Henrici Perchting, Conradi Beneschaw, baccalariorum sacrae theologiae, et Przibislay de Jessenicz, magistrorum in artibus, collegiatorum collegii Caroli studii universitatis Pragensis, ac totius collegii nomine communiter et concorditer super litibus, causis et quaestionibus inter ipsos magistros collegiatos collegii Caroli, et praesertim magistrum Conradum Beneschaw ex una, et nos, Stephanus de Colonia, praepositus, et Przibislaus de Jessenicz, pro parte dominorum ma-

gistrorum, doctorum, et scolarium de natione Boemorum studii praedicti, vertentibus ac verti sperantibus parte ex altera ratione vicissitudinis et electionis duodecimae personae in collegiatum ejusdem collegii Caroli unanimiter et concorditer electi et assumpti, auditis et intellectis omnibus, quae super hujusmodi quaestionibus, litibus, et controversiis praedictis dicere et ostendere voluerunt partes supra scriptae, et utriusque partis investigata et cognita voluntate, habitaque deliberatione solemni propter bonum pacis et concordiae, ex vigore compromissi in nos facti, sub poena infra scripta in Dei nomine pronunciamus, arbitramur, dicimus, et mandamus, quatenus praedictus mag. Conradus Beneschaw maneat in collegio Caroli supradicto, in loco suo, sic quod ex electione sua nullus existens de districtu nativitatis ipsius magistri Conradi habeat jus essendi in natione Boemica, et habilitatem ad hoc, quod eligatur ad praedictum collegium, tamquam unus de praedicta natione existens, et quod amplius nullus de dicto districtu existens ad collegium Caroli praedictum modo praedicto eligatur, nisi tunc per jus in Romana curia vel in rota doceretur, quod existentes de praedicto districtu deberent esse de natione Boemorum supra dicta.

De ordinatione vero facta quoad vicissitudinem praedictam pronunciamus in hunc modum: Primo ex consensu utriusque partis protestando, quod non intendimus infringere concordiam factam, nec

recedere a concordia facta per venerabiles viros, dominos Nicolaum Puchnik, licentiatum in decretis, Pragensis et Olomucensis ecclesiarum canonicum, curiae archiepiscopalis Pragensis et apostolicae sedis legatum officialem, et Conradum Zoltaw, sacrae theologiae professorem, magistros in artibus, inter nationem Boemicam et collegium Caroli supra scriptum, in qua concordia exprimitur de electione duodecimi, quod ille scilicet duodecimus eligatur libere, et indistincte de quacumque sive Boemorum, sive alia natione. Ex hoc enim intelligimus, quod duodecimus non solum eligatur de una natione, nec solum de duabus, nec solum de tribus, sed de omnibus quatuor; sic quod de qualibet illarum quatuor nationum potest eligi. Sic ergo ex utriusque partis, ut praemittitur, consensu, et ex arbitrio nostro propter perpetuam pacem inconcusse servandam inter praedictam nationem Boemicam, et praedictum collegium Caroli, omnibus malis ortis, et oriri exinde potentibus omnino semotis, recognoscimus, talem ordinationem fecisse de praedicto duodecimo, quod natio Boemorum habeat eum semel, et post hoc aliae tres nationes bis per electionem hoc modo incipiendo, quod duodecimus praedictus in electione ejusdem proxime futura eligatur de natione Boemica; post hoc, cum proxime locus duodecimi vacaverit, eligatur de natione Bavarorum; post hoc tertio cum vacaverit, de natione illa sequenti, juxta ordinem supra (*cancellatum*)

scriptum in libro statutorum ipsius universitatis; deinde quum quartus locus duodecimi vacaverit, iterum eligatur de natione Boemorum. Et post hoc quinto cum vacaverit, eligatur de natione quarta, de qua prius nondum fuit electus; sexto de natione sequenti modo supra scripto; septimo iterum de natione Boemorum, et sic continuando in perpetuum secundum ordinem supra scriptum, videlicet quod natio Boemorum habeat duodecimum semel respectu aliarum trium nationum, et aliae tres nationes bis secundum ordinem suum supra scriptum. Ultimo volumus, arbitramur, et mandamus, quod ex toto sit recessum a litibus exortis et discordiis inter partes praelibatas, et quod par sit, nunc et in futurum, quodque omnia et singula supra scripta in perpetuum et inconcusse, sub poena trium millium florenorum boni et legalis ponderis parti servanti hujusmodi pronunciationem medietatem, aliamque medietatem universitati studii Pragensis praedictae per partem non servantem irremissibiliter solvendorum observentur.

Acta sunt haec anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, Indictione tredecima, die vicesima mensis Aprilis, hora completorii vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Bonifacii, divina providentia papae noni anno ipsius primo, in collegio Caroli supradicto, in stuba communi dnorum. magistrorum collegiatorum praedictorum, sito et situato in foro sancti

Galli majoris civitatis Pragensis, in praesentia mei notarii publici infra scripti; super quibus omnibus et singulis supra scriptis praefati arbitri, arbitratores, et amicabiles compositores, petiverunt ipsis per me notarium publ. infra scriptum unum vel plura, publicum seu publica confici et fieri instrumentum seu instrumenta, praesentibus honorabilibus ac discretis viris, dominis: Bartholomaeo Sodeling de Columne, Culmensis dioecesis, magistro in artibus, Laurentio Storch de Czoboth, et Laurentio Sachpo de Vratislavia, baccalariis in artibus studii Pragensis supradicti, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Nicolaus Petri de Prerowia, clericus Olomucensis dioecesis, publicus imperiali auctoritate notarius, praedictis, pronunciationi, expressioni, arbitrii prolationi et poenae appositioni, omnibusque aliis et singulis praemissis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, unacum praenominatis testibus praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, manuque propria conscripsi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi, requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum. Constat mihi notario de cancellatione hujus propositionis supra in XX. riga (*scil. pag.* 294. *lin.* 1. *a calce*) facta non vitio, sed errore a fine instrumenti computando.

---

# XXIV.

**Joannes Pomuk, Joannis archiepiscopi Pragensis in spiritualibus vicarius, donationis areae ad exstruendam capellam Bethlehem conditiones a cive Crux constitutas, et a d. Protyva, ejus capellae rectore, acceptas auctoritate ordinaria die 22. m. Maji a. 1391. confirmat.**

Joannes Pomuk, decretorum doctor, archidiaconus Zacensis, in ecclesia Pragensi vicarius in spiritualibus reverendissimi in Christo patris et domini domini Joannis, sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopi, apostolicae sedis legati generalis, notum facimus tenore praesentium universis, quod constitutus coram nobis in judicio providus vir, Crux Institor, civis majoris civitatis Pragensis, ad evitandum et amputandum materias litium, quae ex donatione areae, quam fecit pro capella sanctorum Innocentum, dictam Betlehem, prope ecclesiam ss. Philippi et Jacobi, apostolorum, dictae majoris civitatis Pragensis, oriri possent, in futurum reservavit, et in donatione hujusmodi specialiter expressit pro se et suis haeredibus infra scripta.

Primo quatenus lumen, quod per fenestras capellae in comoda derivatur sua, aut derivari poterit, nullatenus debeat sibi prohiberi seu obstrui quovis modo. Item secundo, ut celarium cujus pars est sub domo capellanorum dictae capellae, pertingens usque celarium parvum, quod sub sacristia est, maneat sibi liberum et illaesum. Item tertio, quod comodum supra parvum ce-

larium immediate locatum sit pro sacristia et libraria capellanis commune, comodum vero supra sacristiam fieri debet, et sic pro capellario seu capellano, domino Protyva et successoribus ejus; sed comodum, quod est supra comodum domini Protywae una cum comodo ex opposito ejusdem comodi construendum reservat pro suo capellano ac studentibus suis, quos erigere et dotare intendit, excluso unico comodo ibidem, quod pro domino Prothiva et sui capellani scolaribus debet assignari. Cetera vero omnia comoda, scilicet palatium inferius et superius promptuarium, et stuba ac coquina una cum curia parva, versus cimiterium sanctorum Jacobi et Philippi sint omnibus communia, in quibus se compati debent, et in eorum impensis et restaurationibus onus aequum ferre tenebuntur sic, quod unus alteri nullatenus velit anteponi. Item ut pavimentum, si quod praefatus Crux aut heredes et successores sui de comodis suis intra capellam voluerit facere, seu exstruere, non debet prohiberi. Item expressum est etiam, quatenus praefatus Crux ostium, quod est prope braseatorium magnum, muro obstruere teneatur. Postmodum vero veniens dominus Protywa, rector capellae praescriptae, non compulsus nec coactus, sed sponte et libere suo et dictae capellae nomine ad praescripta omnia et singula expresse consensit, ac se et successores suos ad praescripta tenendum et in perpetuum observandum astrinxit et obligavit.

Supplicatum igitur fuit nobis per praefatos, videlicet Crucem Institorem, et dominum Protywam, rectorem capellae praescriptae, ut praemissa omnia et singula auctorisare, ratificare, approbare, et auctoritate ordinaria confirmare dignaremur. Nos vero omnia et singula praemissa considerantes rationabilia et juri consonantia, ea omnia et singula, prout superius in suis punctis, articulis et clausulis sunt descripta, servatis servandis, quae in talibus jure disponente servari debent, adpetitionem praescriptorum Crucis et domini Prothiwae rata et grata habentes, auctorisamus, ratificamus, approbamus, et auctoritate ordinaria confirmamus. In cujus rei testimonium praesentes literas fieri, et sigilli vicariatus archiepiscopatus Pragensis, quo ad praesens utimur, appensione jussimus communiri.

Datum Pragae anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, die XXII. mensis Maji.

Sigillum vicariatus archiepiscopatus Pragensis (*verba circumscripta*) pensile, cereum, oblongum, s. Wenceslaum stantem armatum, dextra hastam, sinistra clypeum aquila simplici conspicuum tenentem cum duobus utrinque scutulis exhibet.

# XXV.

**Joannes de Mülheim in capella nova ss. mm. Innocentium vel Betlehem presbyterum saecularem, qui verbum divinum idiomate patrio praedicet, constituit, ejusque reditus, officia et denominationem literis die 24. m. Maji a. 1391. Pragae conscriptis accurate exponit atque definit, simulque praecipit, qua ratione reditus imposterum aucti adhibeantur.**

In nomine Domini, amen. Misericors et miserator Dominus, qui escam in semine verbi sui reliquit timentibus se, sic per sanctorum patrum instituta instituit, ne verbum Dei alligetur, quinimo ille actus ceterorum liberrimus, et ecclesiae suae sanctae ipsiusque membris utilissimus, quem veteris novique testamenti patres sancti, imo et ipse salvator noster constanter super opera ejus et strenue usque ad mortem prosequentes fore optimum comprobarunt; nisi enim ipse verbi Dei et sanctae praedicationis nobis semen reliquisset, quasi Sodoma et Gomorra fuissemus, qui et discipulis suis post resurrectionem suam manifestus apparens, in ejus perennem memoriam ipsam praedicationem per eos tradidit exequendam. Cum autem omnis ipsius actio suorum fidelium instructio censeatur, et ad quam sacrosanctis scripturarum eloquiis omnis Christi fidelis exhortatur: Igitur ego Joannes de Mülheim provida consideratione pensans, et animae meae salutem, multorumque Christi fidelium spiritualem refectionem desiderans, quomodo

in civitate Pragensi, licet multa sint loca ad divinos cultus ordinata, nihilominus tamen eadem per plurimos alios sacros actus occupantur pluries, sic, quod nullus locus ad privilegiatum praedicationis verbi Dei officium sit ibidem specialiter deputatus; sed praedicantes ipsi specialiter vulgaris Boemici eloquii plerumque per domos et latebras coguntur, quod non congruit, divagari, quemadmodum saepius notabiliter est compertum. Hac igitur consideratione permotus, et ad dictae praedicationis sanctae incrementa procuranda attentius animatus, in remedium facinorum meorum et progenitorum, et ut post lapsum vitae corruptibilis ob id futurae felicitatis gaudia ab Altissimo valeam promereri, non per errorem aut improvide, sed sano animo, et deliberato et digesto consilio, ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei, ejusque gloriosae et intemeratae genitricis virginis Mariae, et omnium sanctorum capellam novam in honore sanctorum Innocentum in area providi viri Crucis, civis majoris civitatis Pragensis, quam idem Crux zelo devotionis motus ad id pie donavit, sita in plebe, et juxta ecclesiam ss. Philippi et Jacobi apostolorum, in dicta civitate Pragensi, quam Betlehem, quod interpretatur domus panis, censui appellandam, hac consideratione, ut ibidem populus communis et Christi fideles pane praedicationis sanctae refici debeant, in modo et ordine infra scriptis, accedente ad hoc speciali et expresso consensu, voluntate et indulto

serenissimi principis et domini domini Wenceslai, Romanorum semper augusti et Boemiae regis, domini mei metuendissimi, prout in literis majestatis suae desuper confectis latius est expressum, ac adhibito etiam consensu honorabilis viri, domini Ulrici, plebani dictae ecclesiae sanctorum Philippi et Jacobi, apostolorum, infra cujus fines et limites dictus locus consistit, cui pro juribus suis parochialibus, et pro quovis praejudicio, quod forte sibi ex hoc oriri praetenderetur, est per certam transactionem satisfactum, decrevi, et disposui erigendam.

Pro cujus capellae et ejus rectore (*sic*), qui fuerit, dote census et reditus meos annuos perpetuos, videlicet novem sexagenarum grossorum Pragensium denar. minus decem grossis, in et super parte villae Ugezdecz prope oppidum Unhostz a parte meridionali in hominibus residentibus ibidem infra scriptis, primo videlicet in Qwietonio, qui residet inter Symonem a sinistra, et inter Marziconem parte a dextra, qui solvit tres sexagenas grossorum minus undecim grossis census annui. Item in Marzicone ejusdem Qwietonii contiguo vicino tres sexagenas grossorum minus uno grosso census annui. Item in Jesscone contiguo vicino ejusdem Marziconis, et qui residet in fine dictae villae nonaginta sex grossos census annui. Item in Thomassone dicto Prdel, qui residet inter Marssonem a dextra et inter Crucem parte a sinistra, quinquaginta tres grossos census annui; et in Mathone, qui residet

inter Procopium a sinistra, et inter Crucem a parte dextra, triginta tres grossos dicti census, et in eorundem rusticorum agris, heredibus, et successoribus, quam partem villae, et homines, ac census jure haereditario possedi, cum omnibus et singulis suis utilitatibus, usufructibus, libertate et dominio, nihil pro me, heredibus aut successoribus meis juris et proprietatis ibidem reservando, ad praesens do, deputo, assigno, et de eadem realiter condescendo, salvo plura per me auctore Deo in posterum addendo, perpetuo pure, simpliciter et irrevocabiliter in jus et proprietatem ac dominium dictae capellae et ejus rectoris cum omnibus suis utilitatibus et pleno dominio meliori modo et forma, quibus possum, transferendo tenendum, habendum, regendum, et justi donationis tituli causa irrevocabiliter perpetuis temporibus possidendum. Cujus quidem capellac onera in modis et ordinationibus ac dispositionibus subscriptis duxi et petii, ac rogo et peto exsequenda: Ut videlicet presbyter saecularis, quem primum duxero ad instituendum, praesentandum, et nominandum, praedicator volgaris Boemici eloquii et ejus singuli successores esse debeat, capellarius instituatur, census et utilitates praedictae villae praedictos tollat, et eis utatur pro sua necessitate, usque dum ad numerum viginti sexagenarum grossorum praedictorum reditus annui fuerit per me aut largitione aliorum Christi fidelium dotatus. Quo numero peracto de his tantum ipsum, et non

de pluri volo stare contentum; nisi ipse de suis propriis facultatibus sibi et suis successoribus ampliores voluerit reditus adaugere. Volo etiam et signanter haec adjungo, ac intendo, ut dictus capellarius ad sonum campanae diebus singulis ab ecclesia celebribus mane et facto prandio, et tempore Adventus, et Quadragesimae mane tantum horis solitis, et prout in aliis ecclesiis praedicari est consuetum, verbum Dei communi populo civitatis in volgari Boemico ad praedicandum sit astrictus, populum excessive propter visitationem divinorum in plebibus suis non retinendo. Ad officium autem missae ipsum suae conscientiae duxi relinguendum.

De jure autem patronatus seu praesentandi ejusdem capellae ita duxi ordinandum: Ut habita prima praesentatione per me de persona, quam voluero, eodem cedente vel decedente tres magistri de collegio Caroli, natione Boemi et seniores, assumto ad se in consilium magistro civium majoris civitatis Pragensis, qui fuerint pro tempore, mihi aut heredibus et successoribus meis tres personas habiles et idoneas, et quas meliores in veritate et utiliores in praedicationis officio omnibus affectionibus, favoribus et aliis circumductis noverint, praesentabunt et offerent, super quo eorum conscientiam coram Deo volo praesentibus onerari, ex quibus unum, qui mihi aut meis heredibus et successoribus convenientius videbitur aptior et utilis, ad instituendum et confirmandum

loci ordinario praesentabo, aut mei heredes et successores praesentabunt, ipseque capellarius seu praedicator facere ibidem tenebitur residentiam personalem. Si autem praefatus Crux aut heredes et successores sui tractu temporis zelo devotionis motus, prout speratur, aliquem ibidem dotare voluerit praedicatorem, hoc facere poterit in dicta mea capella, onus, formam et dispositionem ejus ordinando in modo, qui sibi videbitur expedire, jure patronatus sibi in eodem reservato, sic quod alternatim per eos dictum praedicationis officium peragatur. Ceterum si quispiam fidelium aliquem in praefata capella dotare voluerit capellanum, erigere poterit, jus patronatus pro se et heredibus suis reservando, ita et non aliter, quod idem capellanus in divinorum celebratione singularitates non faciat, ne praedicationis officium in aliquo perturbetur, sed sit ad imperium praedicatoris mei praedicti; et quia plerumque fieri solet, quod nonnulli quaerunt, quae sua, et non, quae sunt Jesu Christi, ut recepto beneficio et emolumento de officio et labore minime intendant, volo, ut praedicator praedictus, si colore quovis quaesito causa subterfugii, aut praetextu visitationis aliquorum beneficiorum suorum, si qua habuerit, se a dicto officio absentaverit, quod haec sibi facere non liceat, nisi causa subsit rationabilis et legitima et talis, ob quam merito sit eum necesse abesse, de scitu tamen et indulto loci ordinarii, aut suorum generalium in spiritualibus

vicariorum, a quibus petita licentia et obtenta abesse poterit, idoneo et valente praedicatore in vicem sui et usque ad reditum substituto; secus si factum fuerit, eundem pro rata temporis absentiae ipsius anni duntaxat carere reditibus volo, structuris et fabricae ac aliis necessitatibus ipsius capellae poenae nomine irremissibiliter applicandis.

Et ne de oblationibus Christi fidelium, aut quibusvis oblagiis, tam intuitu fabricae, quam aliis quibuscunque modis dictae capellae, et in eadem quandocunque et per quemcunque dandis et offerendis haesitari valeat, viteturque scandala, propter quae plerumque vitiorum mater avaritia nonnullos in labem depressit, de eisdem oblationibus et offertoriis, ac aliis intuitu eleemosinae ibidem porrigendis ita volui disponendum, ut nullus praedicatorum et capellanorum praedictorum se de eisdem aliqua ratione aut via, seu colore futuris quibuscunque temporibus ingerat, nec de eis quidquam suis usibus, sint pauca vel multa, applicet, sed his in communi gazophilacio repositis, et sub tribus seris intacte conservatis, quarum clavem primam praedicator praedictus, alteram magistri, et tertiam patronus, aut cui duxerit committendam, conservabunt, ut de eorum communi scitu et concordi consilio aptis et opportunis, ac necessariis temporibus expositio et distributio fiat in ordine subscripto. Primo videlicet nonaginta grossi domino plebano sanctorum Philippi et Jacobi, apostolorum, de censu suo, qui in et de dicta area

nomine praejudicii, et pro juribus suis parochialibus solvi debet, eidem singulis annis per duos terminos per suprascriptos dictarum oblationum distributores persolvantur, et si quid residui fuerit, in structuras et fabricam capellae et ejus reformationem, quoadusque aedificatur, aut quamdiu reformatione indiget, convertatur. His cessantibus libri pro capella et studio praedicantis necessarii comparentur, et dum horum competens fuerit copia, quidquid poterit residuari, conserventur, ut census capellarii usque ad numerum viginti sexagenarum valeat adaugeri, quo habito iterum conservabuntur, ut alter consimilis praedicator erigatur, qui ad opus simile astringetur, si sufficienter non fuerit dotatus, quod eidem census pro dictis pecuniis ad supplementum iterum aliarum viginti sexagenarum grossorum comparentur. Et si tractu temporis praemissis in eo modo, ut praedicitur, consumatis, et ultra ea, quae scripta sunt, poterit aliquid resultare de offertoriis et oblationibus hujusmodi, intentionis meae est, ut hoc conservetur, quoadusque quinque sexagenarum grossorum reditus annui possint comparari, quibus comparatis pradicator praedictus tenebitur fovere unum aptum pauperem studentem sacrae theologiae insudantem; et dum decem fuerint sexagenae, duos studentes, et sic consequenter ascendendo; quorum studentum erectionem, dispositionem, modum, ordinem, onus et formam praedicatori dictae capellae et dictis tribus magistris col-

20 *

legii Caroli nationis Boemicae, qui fuerint pro tempore, maturius dirigendum in posterum reservo. In cujus rei evidentiam et majoris roboris firmitatem praesentes litteras fieri, et sigilli mei appensione jussi communiri.

Datum Pragae anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, die vicesima quarta mensis Maji.

Sigillum Joannis de Mülheim pensile, cereum.

---

# XXVI.

Joannes, archiepiscopus Pragensis, literas Joannis de Mülheim, oratorem sacrum in Bethlehem constituentis (XXV.), literis die 27. m. Junii a. 1391. Pragae datis, suoque sigillo munitis, auctoritate ordinaria confirmat, capellam Bethlehem beneficium ecclesiasticum creat, assignatosque reditus capellae et ejusdem rectori jure ecclesiastico proprios esse jubet.

Joannes, Dei gratia sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, universis et singulis Christi fidelibus, ad quos praesentes pervenerint, salutem in eo, qui est suorum fidelium vera salus, et praesentibus pro exemplo laudabili faciendi similia fidem dare noveritis, nos litteras in pergameno scriptas donationis novem sexagenarum grossorum Pragensium denariorum minus decem grossis, in et super parte villae Ugesdecz prope oppidum Unhoscz census annui

et perpetui pro erigenda capella nova in honore sanctorum Innocentum in area providi viri Crucis, civis majoris civitatis Pragensis, quam idem Crux zelo devotionis motus ad id pie donavit, sita in plebe, et juxta ecclesiam sanctorum Philippi et Jacobi, apostolorum, in dicta civitate Pragensi, quam Betlehem, quod interpretatur domus panis, censerunt appellari, uno sigillo nobilis viri, Joannis Mulhaim, militis, in pressula pergamena pendente sigillatas, sanas et integras, omnique vitio et suspicione carentes, nobis pro parte dicti nobilis Joannis de Muelhaim praesentatas recepisse per omnia in haec verba: In nomine Domini, amen. Misericors et miserator Dominus, qui escam in semine verbi sui reliquit timentibus se etc. *uti habetur n. XXV. pag.* 300 - 308.

Post quarum quidem litterarum fuit nobis pro parte praefati domini Joannis de Mulhaim cum instantia debita humiliter supplicatum, quatenus dictam capellam in beneficium ecclesiasticum erigere et creare, ac eidem et ipsius rectori, qui fuerit pro tempore, census et reditus supradictos applicare, annectere, unire, et incorporare, nec non omnia et singula supra scripta approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Nos ipsius petitionibus congruis et justis favorabiliter inclinati, attendentes etiam hujusmodi donationem ex zelo devotionis procedere, per ipsamque cultum augeri divinum, eandem capellam in beneficium ecclesiasticum erigimus et creamus, dictosque cen-

sus et reditus praefatae capellae et rectori ipsius, qui fuerit pro tempore, applicamus, annectimus, appropriamus, unimus et incorporamus, ac de cetero ecclesiastici juris volumus reputari, nec non omnia et singula, prout superius descripta sunt, in suis punctis, clausulis, et conditionibus auctorisamus, ratificamus, approbamus, et ex certa nostra scientia auctoritate ordinaria confirmamus. In quorum omnium testimonium praesentes litteras fieri, et sigillorum nostrorum appensione jussimus communiri.

Datum Pragae, anno Domini millesimo CCCLXXXX primo, die XXVII. mensis Junii.

Sigillum Joannis archiep. pensile, cereum, oblongum.

---

# XXVII.

Joannes Pomuk. Joannis, archiepiscopi Pragens. vicarius generalis, Joannem Prothyva, presbyterum, a Joanne de Mülheim legitime praesentatum, literis die 5. m. Julii a. 1391. Pragae datis capellae Bethlehem rectorem instituit.

Joannes Pomuk, decretorum doctor, archidiaconus Zacensis, in ecclesia Pragensi vicarius in spiritualibus reverendissimi in Christo patris et domini domini Joannis, sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopi, apostolicae sedis legati generalis,' notum facimus tenore praesentium universis, quod nos ad praesentationem et petitionem

nobilis viri, domini Joannis de Muelhem in et ad capellam sanctorum Innocentum, vulgariter Betlehem nuncupatam, in majori civitate Pragensi sitam, per praefatum dominum Joannem de Muelhem de novo dotatam, et per praelibatum dominum nostrum archiepiscopum in beneficium ecclesiasticum erectam, in qua praefatus dominus Joannes jus patronatus dinoscitur obtinere, discretum virum, dominum Joannem dictum Prothywa de nova villa, presbyterum Pragensis dioecesis, crida seu proclamatione praemissa, rectorem legitimum instituimus et ministrum, ipsumque de praedicta capella cum omnibus juribus et pertinentiis suis investivimus, et praesentibus investimus, curam et administrationem spiritualium et temporalium dictae capellae eidem committimus, ipsum ad eandem capellam confirmantes. In cujus rei testimonium praesentes litteras fieri et sigilli vicariatus nostri appensione jussimus communiri.

Datum Pragae, anno Domini millesimo CCC nonagesimo primo, die quinta mensis Julii.

Sigillum idem, quod ad n. XXIV.

# XXVIII.

**Joannes de Mülheim civi Crux literis die 8. m. Julii a. 1391. Pragae datis potestatem facit, in capella Betlehem erigendi altare, atque ad illud alterum instituendi oratorem sacrum.**

Ego Joannes de Mülheim notum facio tenore praesentium universis, quod, cum ego capellam novam, appellatam vulgariter Betlehem, in honore sanctorum Innocentum in majori civitate Pragensi, pro perpetuo praedicatore erigi procuraverim in area honesti viri Crucis, civis majoris civitatis Pragensis, quam idem Crux ad hoc in suae salutis remedium donavit, et ad quam capellam, ut possint triginta sexagenae grossorum Pragensium reditus annui applicari, a serenissimo principe et domino domino Wenceslao, Romanorum rege semper augusto et Boemiae rege, domino meo metuendissimo, indultum obtinui, prout in literis suis et tabulis terrae regni Boemiae latius continetur; igitur promitto praesentibus praefato Cruci bona et sincera fide, ut ipse in dicta mea capella unum altare per se, aut suos heredes et successores erigere, et ad idem perpetuum praedicatorem, prout sibi videbitur, instituere, et hujusmodi praedicatorem dotare, ac census eidem sub numero dicti indulti per me obtenti applicare, jure patronatus et praesentandi ejusdem praedicatoris sibi et heredibus suis reservato, valeat atque possit, qua-

libet contradictione et impedimento per me cessante, cui nullum alium quoad hujusmodi indultum censuum debeo praeferre; et quod idem praedicator suus comodum supra sacristiam dictae capellae obtinere debeat cum praedicatore meo jam dotato; hoc etiam addito, quod praedicator meus, qui est, aut erit, lumen fenestrarum in braseatorio ejusdem Crucis juxta dictam capellam aedificato ad eam capellam per easdem fenestras intrans, non obstruat, et nihilominus ad dictam capellam transitus ab ecclesia sancti Aegidii per domum dicti Crucis durabit, et habebitur usque ad ipsius Crucis beneplacitum voluntatis; nam sic idem Crux eundem transitum concessit usque ad suae placitum voluntatis. In cujus rei testimonium sigillum meum praesentibus duxi appendendum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, Sabbato post festum sancti Procopii, confessoris.

Sigillum pendulum Mülheimii.

# XXIX.

**Wenceslaus IV. Rom. et Boh. rex, capellae Bethlehem aedificationem, oratorisque sacri in ea institutionem ratam habet et gratam, eidemque libertatem ecclesiasticam adserit literis die 2. m. Septembris a. 1391. Mendici datis.**

Wenceslaus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis; divinae retributionis meritum, et temporalis prosperitatis augmentum infallibiliter consequi se credit nostra serenitas, dum ad hoc, ut per civitatem nostram Pragensem, quam velut caput et regni nostri Boemiae membrum potissimum votivis prosperari successibus cordialiter affectamus, sacrarum aedium optatus augeatur numerus, gratanter annuimus, et liberalitatis nostrae dexteram favorabiliter adhibemus.

Sane nostram accedens personalem praesentiam strenuus Joannes Mulheym, familiaris et fidelis noster dilectus, majestati nostrae proposuit, qualiter fidelis noster dilectus Crux Institor, civis Pragensis, domum sive aream prope ecclesiam parochialem sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi Pragensem sitam, dictam Skalsky, dudum per ipsum comparatam, in cujus etiam exstitit possessione pacifica, pro erectione basilicae in honore sanctorum martyrum Innocentum, et aedificatione domus pro inhabitatione capellanorum ejusdem capellae, qui prae-

dicationis duntaxat debebunt insudare labori, sacrique dogmatis fluenta sitientibus justitiam fidelibus populis ministrare, zelo sincerae devotionis accensus, donaverit, supplicans nobis humiliter et devote, quatenus donationi praefatae domus, et areae consentire, ut praemittitur, ipsasque pro usibus capellanorum et ecclesiae appropriare, annectere, unire et incorporare gratiosius dignaremur. Nos igitur, qui piis votis justa petentium libenter annuimus, inspectis benigne dicti Joannis Mulheym precibus rationabilibus, praesertim cum juste petentibus non sit denegandus assensus, in nostrae, progenitorumque nostrorum animarum remedium salutare, non per errorem aut improvide, sed animo deliberato, sano fidelium nostrorum accedente consilio, donationi dictae domus, et areae consentientes benignius, ipsasque pro erectione basilicae et aedificatione domus pro usibus et inhabitatione capellanorum praedicationis officio perpetue praesidentium appropriavimus, anneximus, incorporavimus et univimus, appropriamus, annectimus, incorporamus de certa nostra scientia, et auctoritate regia Bohemiae gratiosius, et unimus apud praefatam erigendam capellam et capellanos libertate ecclesiastica perpetuo permansuros, mandantes judici, consulibus, juratis, et communitati majoris civitatis Pragensis, fidelibus nostris dilectis, firmiter et districte, quatenus adversum praesentis nostrae libertatis indultum erectionem basilicae, seu etiam capellanos praesentes et futuros do-

mum ad praefatam capellam spectantem inhabitantes, ut praefertur, quomodolibet non impediant, nec impediri permittant per quempiam, prout indignationem nostram gravissimam voluerint arcius evitare. Praesentium sub regiae nostrae majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Mendici, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, die secunda Septembris, regnorum nostrorum anno Boemiae vicesimo nono, Romanorum vero sexto decimo.

Per D. Beneschium de Chussnik.
Franciscus Olomucensis,
canonicus.
Rc. Bartholom. de Nova-civitate.

Sigillum regis Wenceslai.

---

## XXX.

Wenceslaus IV. Rom. et Boh. rex, duobus capellae Betlehem concionatoribus reditus annuos 30 sexag. gross. auctoritate regia in tuto collocat, et adserta libertate ecclesiastica munit literis Mendici die 13. m. Septembris a. 1391. datis.

Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis. Inter ceteras salubres utilissimasve doctrinas et rutilantium artium varietates innumeras, quae ad roborandam sacro-sanctam

fidem catholicam, et illuminandas mentes hominum divina munera tribuerunt, sanctae praedicationis peritiam credimus non immerito computandam, ex eo praesertim, quod ejus generosa possessio in plures dispersa non perditur, et distributa per partes minorationis detrimenta non sentit, sed eo diutius perpetuata senescit, quo publicata fecundius se diffundit. A simili etiam praedicatores, seu divini verbi praecones stabilimento ejusdem sacrae fidei utiles et proficuos reputamus, illos signanter, qui sciunt et possunt sibi per vitae meritum, et aliis proficere per doctrinam; ad horum enim exhortationem homo veluti prudens et operosus agricola sui cordis agrum indesinenter exarat, terram sui corporis vomere sanctae disciplinae proscindit, glebas duritiae minutatim conterit, vitiorum vepres extirpare contendit, et sic paratus cottidie tensis in coelum oculis superni imbris abundantiam praestolatur, sicque fit, ut summus ille arbiter, occultus videlicet inspector, licet ad tempus aquam provida dispensatione contineat, dum tamen hunc adeo solerter agentem conspexerit, agrum suum in proximo uberibus sui carismatis dignetur imbribus irrigare, ut qui eatenus squalidus videbatur ac sterilis, jam proventu exuberantium segetum multipliciter cumuletur.

Sane constitutus pridem in nostrae majestatis praesentia strenuus Joannes de Mulheim, familiaris noster domesticus fidelis dilectus, nobis significare curavit, qualiter ipse in suae et progenitorum suo-

rum animarum remedium salutare, quandam capellam sub honore et titulo sanctorum martyrum Innocentum in majori civitate Pragensi prope ecclesiam sanctorum Philippi et Jacobi apostolorum super area eidem ecclesiae contigua de bonis sibi a Deo collatis exstruxerit, et pro usibus praedicatorum dictae capellae, qui secundum dispositionem suam in certis festivitatibus atque diebus, Christiano populo verbum Dei annunciare debebunt, triginta sexagenas grossorum annui et perpetui census, tam per ipsum, quam etiam per alios comparandis (*sic*) providerit deputandum, supplicans majestati nostrae humiliter et attente, quatenus comparationi census hujusmodi nostrum velut rex Boëmiae consensum apponere, ac ipsum ad usus dictorum praedicatorum incorporare et annectere gratiosius dignaremur. Nos ejus precibus utpote rationabilibus atque justis benignius annuentes, advertentes etiam, ac provida deliberatione pensantes, quanta ex praedicatione verbi dominici consurgere possit utilitas, dum videlicet per hanc erga creatorem suum homo propriam agnoscat grossiciem, fallentis mundi aspernetur illecebras, et ad illam felicem patriam, in qua sine omni taedio manens est semper aeternitas, ardentibus conatur desideriis pervenire, animo deliberato, sano fidelium nostrorum accedente consilio, regia auctoritate Boemiae, et de certa nostra scientia comparationi census hujusmodi usque ad numerum triginta sexagenarum grossorum per

praefatum Joannem de Mulheim, seu quospiam alios, in bonis tamen liberis et non feodalibus faciendae consensum nostrum adhibuimus, et virtute praesentium benignius adhibemus, et ne processu temporis censum triginta sexagenarum praedictum hominum subdolis et exquisitis ingeniis impetrari, auferri, seu modo quocumque alienas, quod absit, pervenire contingat ad manus, ipsum ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc ad usus praedicatorum capellae praedictae incorporavimus, invisceravimus, anneximus, incorporamus, invisceramus et annectimus per praesentes, decernentes, ac regio Boemiae statuentes edicto, ut iidem praedicatores censum triginta sexagenarum praedictum simul aut successive comparandum habere, tenere, et sub libertate ecclesiastica ad instar aliorum ecclesiasticorum censuum perpetuis debeant temporibus pacifice possidere.

Inhibemus igitur firmiter et districte, universis et singulis nostris et regni Boemiae officialibus et subditis, cujuscunque status, praeeminentiae, seu conditionis existant, et signanter subcammerario regni Boemiae, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, ne praefatos praedicatores in censu triginta sexagenarum praedicto, quem ex nunc haberi volumus pro comparato, seu ipsius perceptione impediant, seu impediri per quempiam patiantur, quin potius ipsos circa hujusmodi protegant, manuteneant fideliter et defendant, prout gravem nostrae indignationis offensam et poenam ad ar-

bitrium nostrum desuper infligendam voluerint arcius evitare. Praesentium sub regiae majestatis nostrae sigillo testimonio litterarum.

Datum in Mendico, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, die tertia decima Septembris, regnorum nostrorum anno Boemiae vicesimo nono, Romanorum vero sexto decimo.

Ad relation. Jeschkonis Czuch, Marescalci:
Wlachnico de Weytenmuhle.
Rc. Bartholom. de Nova-civitate.

Sigillum regis Wenceslai.

---

# XXXI.

Wenceslaus IV. Rom. et Boh. rex, villas Nenaczowicz et Drahelczicz auctoritate regia a collegio Caroli avulsas, atque Jeskoni Maly traditas literis Mendici die 17. m. Januarii a. 1392. datis eidem collegio restituit pacifice in perpetuum possidendas.

Wenceslaus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis, quod cum alias fideli nostro dilecto Jeskoni dicto Maly, custodi stratarum regni nostri, omne jus devolutionis, quod nobis velut regi Boemiae in hereditatibus, quas honorabiles praepositus et magistri collegii Caroli majoris civitatis Pragensis, devoti nostri dilecti, in villis Nenaczowicz et Drahelczicz obtinebant,

competebat, ex eo videlicet, quod praedicti praepositus et magistri dictas hereditates et bona absque nostro consensu, et contra prohibitionem publicam, dudum ab illustribus Boemiae regibus, praedecessoribus nostris factam pro suis usibus comparant, dederimus et donaverimus gratiose. Idem quoque Jesko jus regium hujusmodi, quod sibi ex donatione nostra, ut praemittitur, compepetebat, in personas dictorum praepositi, et magistrorum duxerit transferendum, nihil sibi penitus in hereditatibus et bonis praedictis reservando. Nos translatione hujusmodi benigne admissa cupientes nihilominus conditionem praefati collegii fieri meliorem, animo deliberato, sano fidelium nostrorum accedente consilio, regia auctoritate Boemiae, et de certa nostra scientia praefatas hereditates et bona cum eorum juribus, proventibus, censibus, utilitatibus et pertinentiis universis, prout hactenus sunt possessae, utpote ab omnibus impetitionibus liberas penitus et exemptas, praefatis praeposito, et magistris collegii Caroli dedimus et donavimus, damus virtute praesentium, et donamus per ipsos, et collegium ipsorum habendum, tenendum, et sine impedimentis quorumlibet in antea pacifice possidendum. Et ne ipsos processu temporis occasione dictarum hereditatum ad cujusvis instantiam evocari seu judicialiter fatigari contingat, inhibemus firmiter et districte, regiae quoque gratiae sub obtentu, universis et singulis baronibus, beneficiariis, vrziedniconibus, et si-

gnanter beneficiariis Pragensibus, ac aliis beneficiariis regalis curiae, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, fidelibus nostris dilectis seriose praecipiendo mandamus, ut in casum, quo praefatos praepositum et magistros super hereditatibus et bonis praedictis per quempiam molestari, seu ad ipsorum judicia quavis occasione praetensa judicialiter evocari contigerit, quod ex tunc praefatos magistros aut homines ipsorum non judicent, neque judicialiter fatigari permittant per quempiam; quin potius sententias quaslibet casualiter forsitan contra ipsos et eorum homines in dictis hereditatibus et bonis consistentes hactenus latas, seu in antea quocunque casu ferendas, et quaevis inde secuta revocent, cassent, et irritent, prout gravem indignationem nostram voluerint evitare, quas et nos virtute praesentium revocamus, cassamus, irritamus, et nullius penitus esse decernimus roboris aut momenti. Praesentium sub regiae majestatis nostrae sigillo testimonio litterarum.

Datum in Mendico, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, die XVII. Januarii, regnorum nostrorum anno Boemiae vicesimo nono, Romanorum vero sexto decimo.

Ad relation. Cunathi Kappler
Wlachnico de Weytenmule.

*A tergo:* R. Bartholom. de Nova - civitate.

Sigillum regis Wenceslai.

# XXXII.

Senatus Pragae majoris seu veteris literis die 6. m. Julii a. 1392. Pragae datis civi Crux non duas solum sexagenas ob aream ad exstruendam capellam Bethlehem donatam computationis nomine solvendas remittit, sed et aream ipsam a quovis impositionis civilis onere liberam et immunem declarat, nisi ad manus redierit saeculares.

Nos Joannes, apotecarius, pro tunc magister civium, Petrus Smelczer, Nicolaus Frölich, Frana Bischoff, Joannes Gosler, Cristanus Leytner, Georius de Cham, Nicolaus Styr de leta Curia, Laurentius Martini Institoris, Petha Frenifex, Cristanus Helm, Conradus de Ens, Peschlinus Salczer, Wenceslaus Vluschii de Sicca, Franciscus Hopfner, Henslinus Castner, et Albertus Jurenteyn, consules et scabini majoris civitatis Pragensis, tenore praesentium recognoscimus universis, quod ad augmentum cultus divini, ad laudem Dei omnipotentis, et intemeratae ejus genitricis virginis gloriosae, de communitatis nostrae consensu, honestum virum, Crucem Institorem, nostrum conjuratum concivem, de duabus sexagenis gross denariorum Pragensium, quas nobis computationis nomine et civitati nostrae de area sua pro fundatione ecclesiae de novo erigendae et exstruendae in Betleem, per eum pie donata, dare et solvere debuit, liberum dimisimus et solutum; hoc etiam adjicientes ex gratia ampliori, quod

dicta area, sicut a domo praefatae Crucis in limitibus suis eidem assita, circumferentialiter distincta est, ac per eum, ut praedicitur, donata, ab omni contributione, losunge, steure, berne, collecte, seu alio quovis impositionis civilis onere de ipsa nobis et civitati nostrae solvendis, debet esse in antea et perpetue libera penitus et soluta, dummodo ad manus saeculares non revertetur. In casum vero, si ad manus et usus saeculares ut prius fuit, rediret, quod tunc juribus, ut ante praefertur, subjacere debet civitatis. In cujus rei testimonium secretum nostrae praedictae majoris civitatis Pragensis sigillum praesentibus est appensum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, feria sexta proxima post festum sancti Procopii confessoris.

Sigillum pendulum civitatis Pragensis.

# XXXIII.

**Wenceslaus IV., Rom. et Boh. rex, literis Mendici die 22. m. Novembris a. 1392. datis universitatis magistros, doctores, studentes, eorumque familiares ab omnibus cujuscunque nominis oneribus, et a jurisdictione quorumlibet judicum regni liberos declarat et exemtos; in maleficiis vero deprehensi, et in vincula conjecti extemplo universitatis rectori tradantur, qui de illis decernat.**

Wenceslaus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis, quod habito respectu ad magnam sollicitudinem praeteritam, et multiplicia studia divae memoriae serenissimi principis, quondam dni. et genitoris nostri, dni. Caroli, Romanorum imperatoris et Boemiae regis, quibus Pragense studium instauravit, nunc amplius quotidianis urgemur affectibus, ut ipso auctore, qui prospera dedit initia, idem studium inchoatum feliciter mediis desideratis proficiat, et speratis finibus terminetur. Propter quod animo deliberato, sano principum, baronum, ac procerum regni nostri accedente consilio, non per errorem aut improvide, sed de certa nostra scientia, nostrae universitati Pragensi, magistris, doctoribus et studentibus, universaliter omnibus, et singulariter singulis decrevimus hanc gratiam faciendam, sub tenoribus, conditionibus et clausulis inferius annotatis; videlicet, ut magistri, doctores, studentes, familiaresque quotidiani eorum cum omnibus prae-

dictae universitatis juribus, libertatibus, pertinentiis, fructibus, proventibus, emolumentis, et obventionibus universis, quibuscunque specialibus vocabulis possint designari, ab omnibus steuris, solutionibus, daciis, talliis, et quibuscunque ceteris oneribus realibus, etiam a jurisdictione quorumlibet judicum regni nostri Boemiae liberi esse debeant penitus et exempti. Inhibemus igitur judicibus singulis et nominatim majoris, minoris, et novae civitatum Pragensium, et aliis, quibuscunque censeantur nominibus, ne adversus nostrae dispositionis, concessionis ac ordinationis seriem quidquam in praejudicium magistrorum, doctorum ac studentium attentare praesumant; nam si quid attentaretur modo quolibet, hoc ipso facto auctoritate regia Boemiae, et de certa nostra scientia viribus vacuamus, ut nullius roboris sit seu momenti; si vero supposita universitatis praedictae in maleficiis seu forefactis per judices nostros unum aut plures apprehensa et arrestata fuerint, ipsum aut eadem, dummodo notorie studentes fuerint, aut quam cito hoc constaret, judicio rectoris ejusdem universitatis sine contradictione et difficultate qualibet volumus praesentari, sic tamen, ut talem, vel tales pro hujusmodi forefactis rector universitatis, qui pro tempore fuerit, corrigere, et alias unicuique contra eos actionem habenti expeditam, quoties opus fuerit, debeat justitiam ministrare. Si quis vero praesentem nostram paginam quovis modo infirmare, infringere,

aut contraire attentaverit sive praesumserit, ab eodem totiens, quotiens contrafactum fuerit, centum marcas auri purissimi irremissibiliter exigi volumus, et cum effectu dari, et earum medietatem nostri regalis aerarii Boemiae, residuam vero partem dictae universitatis profectibus et usibus decrevimus applicari. Praesentium sub regiae nostrae majestatis sigillo testimonio literarum.

Datum Mendici anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, die vicesima secunda Novembris, regnorum nostrorum anno Boemiae tricesimo, Romanorum vero decimo septimo.

Per d. Henricum de Duba, mgrum curiae
Wlachnico de Weitemmule.

*A tergo*: R. Wenceslaus de Olomuncz.

Sigillum regis Wenceslai.

---

## XXXIV.

**Wenceslaus, episcopus Nicopolensis, Wolframi, archiepiscopi Pragensis in spiritualibus vicarius, literis Pragae die 25. m. Octobris a. 1391. datis poenitentibus in capella Bethlehem Pater et Ave orantibus 40 dies indulgentiarum de poenitentiis injunctis relaxat.**

Wenceslaus, Dei gratia Nicopolens. episcopus, reverendissimi in Christo patris et dni. dni. Wolframi, archiepiscopi ecclesiae sanctae Pragens. et apostolicae sedis legati, vicarius in pontificalibus,

universis Christi fidelibus salutem in eo, qui suorum est vera salus et aeterna remuneratio. Etsi quaelibet loca sanctorum pia sint, et promta devotione a Christi fidelibus veneranda, specialiter tamen ea spiritualibus sunt amplianda muneribus, ubi major ad audiendum verbum Dei populi confluit multitudo. Cupientes igitur Christi fideles ad merita et indulgentias, videlicet et remissiones peccatorum, ac ad audiendum verbum Dei salubrius invitare, omnibus vere poenitentibus, contritis et confessis, qui hora diei quacunque capellam Bethleem, quam nos in honore sanctorum Mathiae et Matthaei apostolorum pro libera sepultura dedicavimus, ex devotione visitaverint, ibique unum Pater noster et Ave Maria flexis genibus coram altaribus sanctorum dixerint, XL dies indulgentiarum ipsis de injunctis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium praesentem literam fieri et sigilli nostri appensione jussimus communiri.

Datum anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, die dominico ante festum ss. apostolorum Simonis et Judae, in domo s. officii sub monte Petrino. Consecratum vero eodem die et anno.

Sigillum pendulum, cereum, oblongum supra dicti episcopi Wenceslai.

# XXXV.

Nicolaus Puchnik, Joannis archiepiscopi Pragensis in spiritualibus vicarius, literis die 8. m. Januarii a. 1396. Pragae datis altare in honorem s. Margaritae, s. Catharinae et aliarum ss. virginum a cive Crux in capella Bethlehem recenter erectum beneficium ecclesiasticum creat, atque reditus octo sexagenarum, jus patronatus, et altaristae officia confirmat.

Nicolaus Puchnik, licentiatus in decretis, Pragensis et Olomucensis ecclesiarum canonicus, vicarius in spiritualibus reverendissimi in Christo patris et domini domini Joannis, sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopi, apostolicae sedis legati, generalis. Ad universorum tenore praesentium deducimus: licet ad universa, quae spiritualium operationum concernunt profectum, vigilanti cura intendere teneamur, ad ea tamen specialiter, quae ad salutem animarum, et in divini cultus augmentum tendunt, tenemur vigilantius intendere et ferventius insudare, et per quae post hujus vitae decursum speramus recipere proemia sempiterna.

Sane constitutus personaliter coram nobis honestus vir Crux Institor, civis majoris civitatis Pragensis, proposuit, qualiter ipse zelo devotionis accensus cupiens temporalia pro aeternis, et transitoria pro perpetuis felici commercio commutare, pro remedio et salute animarum suae consortis ac heredum suorum, nec non omnium fidelium defunctorum, octo sexagenas grossorum

Pragensium denariorum census annui, liberi et perpetui emit et comparavit in bonis et locis infra scriptis, videlicet primo apud Ewlaliam, quondam Wolframi, camerarii relictam, quinque sexagenas grossorum, in et super duabus vineis Nicolai medici, situatis in villa Branicze inter vineas Rusenka ex una, et Corbe villanorum parte ex altera, et super omnibus et singulis pertinentiis earumdem vinearum, videlicet curia, agris, pratis, humuletis, quae dictus Nicolaus ibidem habere dinoscitur, prout de hoc in libro civitatis majoris Pragensis supra dictae claret evidenter; item tres sexagenas grossorum praedictorum emptas apud Przisuaconem de Ledecz super hereditate sua in Ledecz, villa integra, curiis rusticalibus, censu, agris, pratis et silvis, et aliis pertinentiis, tabulis terrae regni Boemiae intabulatas, pro altari sanctae Margarethae, sanctae Catharinae, et aliarum sanctarum virginum in capella sanctorum Innocentum, Betlehem nuncupata, sita in majori civitate Pragensi praenominata, de novo in titulum perpetui beneficii ecclesiastici erigendo, domino Mathia, presbytero de Tuozap ad ipsum de novo instituendo et ipsius successoribus, quas quidem octo sexagenas grossorum praefatus Crux sano et deliberato animo pro altari praescripto sanctae Margarethae, sanctae Catharinae et aliarum sanctarum virginum, ac domino Mathiae praedicto et ipsius successoribus perpetuo dedit, donavit, deputavit, ac pie assignavit, libereque con-

descendit, de eisdem promittens bona fide sine dolo et fraude, ullo umquam tempore contra hujusmodi donationem per se, heredes aut successores suos venire, nec ipsum dominum Mathiam et ipsius successores in levatione, receptione et perceptione census praescripti impedire, ita tamen et taliter, quod ipse dominus Mathias, et sui successores, altaris praescripti rectores, per se vel alium sint ratione donationis praescriptae obligati et astricti ad infra scripta.

Primo, quod omnibus diebus dominicis, et festivis aliis per circulùm anni occurrentibus, et a populo celebrari consuetis, omnique die in Quadragesima et in adventu Domini mane ante sermonem missam de beata Maria virgine gloriosa sub nota decantabit; in majoribus festivitatibus, si placebit, de festo tenendo, quam missam in cantu breviare vel prolongare tenebitur ad mandatum praedicatoris, qui post eandem missam debuerit praedicare; aliis vero diebus feriatis, dum missam legendi gratiam habuerit, in capella praedicta Betlehem hoc potius facere debet, quam in loco alio, nisi ex devoticne alias voluerit celebrare, quod tamen non saepe facere tenebitur; ratione vero lucri extra eandem capellam eidem domino Mathiae et ipsius successoribus non licebit missas celebrare. Item est expressum, quod ipse dominus Mathias et sui successores, praedicti altaris rectores, qui pro tempore fuerint in comodo inferiori ibidem in Betlehem, ubi res ejusdem capellae servantur, mo-

rari debet et jacere de nocte, libros et alias res ejusdem capellae fideliter custodiendo et conservando, claves proprias ab eodem comodo habendo, a quo comodo quilibet pradicatorum capellae memoratae confirmatus claves proprias habebit, et ipsum comodum intrabit, quotiens et quando indigebit, sine requisitione et contradictione altaristae saepe nominati, non tamen per hoc ipse dominus Mathias, aut ipsius successor erit ad alia servitia obligatus, sed praemissis omnibus rite et rationabiliter expletis ab omnibus servitiis sit liber et absolutus. In casu vero, ubi dictus dominus Mathias, aut ipsius successor, qui pro tempore fuerit, aliquam missam diebus praescriptis cantare neglexerit et non curaverit, ex tunc pro qualibet missa neglecta et non cantata nomine poenae dabit unum grossum per praedicatores ejusdem capellae exigendum, et alteri presbytero missam hujusmodi supplenti erogandum. Ad quae omnia et singula supra scripta praefatus dnus. Mathias se, et suos successores sponte et libere submisit, et ea omnia, prout superius sunt descripta, facere, tenere, et inviolabiliter observare promisit per se et suos successores.

Jus autem patronatus altaris praedicti et praesentandi rectorem ad ipsum praenominatus Crux pro se, quamdiu vita sibi comes fuerit, reservavit; ipso autem decedente praedictum jus patronatus ad heredes ipsius devolvetur, ita tamen et taliter, quod quotienscumque, et quandocumque praedic-

tum altare ex causa quacumque vacabit, senior heres sine requistione aliorum poterit ad ipsum rectorem idoneum praesentare.

Et ut praemissa omnia et singula robur obtineant perpetuae firmitatis, praescriptus Crux et dominus Mathias praenominatus petebat praescriptum altare sanctae Margarethae et sanctae Catharinae, et aliarum sanctarum Virginum in perpetuum beneficium ecclesiasticum erigere et creare, omniaque et singula superius descripta in suis punctis, clausulis, conditionibus et articulis approbare, ratificare, et auctoritate ordinaria confirmare, praescriptumque censum octo sexagenarum eidem altari, et ipsius rectoribus annectere, unire, inviscerare et incorporare. Nos vero considerantes praemissa ex zelo devotionis procedere, et in divini cultus augmentum feliciter evenire, et aliorum Christi fidelium ad similia plurimum inductiva, attendentesque, quod justa petentibus non est denegandus assensus; ideo supplicationibus praescriptorum Crucis civis et domini Mathiae, presbyteri, tamquam justis, rationabilibus et juri consonis, annuentes, servatis servandis, quae circa talia de jure fuerant servanda, praescriptum altare in honore sanctae Margarethae et sanctae Catharinae et aliarum Virginum sanctarum in capella sanctorum Innocentum, alias Betlehem nuncupata, in perpetuum beneficium ecclesiasticum erigimus et creamus, omniaque et singula superius descripta in suis punctis, clausulis, conditionibus et articulis

ex certa scientia approbamus, ratificamus, et auctoritate ordinaria confirmamus, praescriptumque censum octo sexagenarum grossorum denariorum Pragensium in bonis praescriptis praedicto altari et rectoribus ipsius annectimus, unimus, incorporamus, applicamus, invisceramus et incorporamus, decernentes ipsum censum de cetero et in antea juris ecclesiastici et non mundani reputari. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes literas fieri, et sigilli vicariatus archiepiscopatus Pragensis, quoad praesens utimur, appensione jussimus communiri.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, die VIII. mensis Januarii.

Sigillum pendulum vicariatus.

---

# XXXVI.

**Bonifacii IX. Rom. pontificis (electi die 2. m. Novembris a. 1389. vita functi die 1. m. Octobris a. 1404.) privilegium Romae die 11. m. Julii a. 1396. universitati Pragensi datum, quo beneficiis ecclesiasticis gaudentibus studiorum Pragae colendorum causa ab iisdem per quinquennium abesse licet.**

Bonifacius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis, doctoribus, magistris et scholaribus studii Pragensis, praesentibus et futuris, salutem et apostolicam benedictionem. Dum at-

tentae considerationis indagine perscrutamur, quod per litterarum studia cooperante illo, a quo omnium carismatum dona proveniunt, viri efficiuntur scientiis eruditi, per quos aequum ab iniquo discernitur, erudiuntur rudes, provecti ad altiora concrescunt, et fides catholica roboratur, libenter non solum loca, ubi hujusmodi studia pollent, sed studentes in eis communimus gratiis, et libertatibus honoramus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, ut vos et vestrum singuli tam praesentes, quam posteri Pragae litterarum studio insistendo, fructus, reditus, et proventus beneficiorum vestrorum ecclesiasticorum, quae in quibusvis ecclesiis, sive locis obtinetis, sive in posterum vos, et vestrum singulos obtinere continget, etiamsi dignitates personatus, seu officia fuerint, et curam habeant animarum, dummodo in cathedralibus post pontificales majores, vel in collegiatis ecclesiis principales dignitates hujusmodi non existant, cum ea integritate usque ad quinquenium tantum continuum, vel interpolatum a die, qua quilibet vestrum hujusmodi nostra concessione inchoaret, uti proxime computandum, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere valeatis, cum qua illos perciperetis, si in ecclesiis, sive locis, in quibus hujusmodi beneficia consistunt, personaliter resideretis, et ad residendum interim in eisdem ecclesiis sive locis minime teneamini, neque ad id inviti a quoquam

valeatis coarctari; non obstantibus, si in hujusmodi ecclesiis non feceritis primam personalem residentiam consuetam, et quibuscunque constitutionibus apostolicis, provincialibus et synodalibus, nec non statutis, et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus hujusmodi beneficia fuerint, contrariis juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiam si de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, et ipsis litteris non utendo etiam ab alio, vel aliis impetratis, seu alias quovis modo concessis per vos, vel procuratores vestros praestiteritis hactenus, vel vos in posterum praestare contigerit forsitan juramentum; seu si locorum ordinariis a sede apostolica sit indultum, vel interim indulgeri contingat, quod canonicos et personas ecclesiarum suarum civitatum et dioecesium etiam in dignitatibus, personatibus, seu officiis constitutos per subtractionem proventuum suorum ecclesiasticorum, vel alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; aut si eisdem ordinariis et dilectis filiis capitulis dictarum ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a praefata sede indultum existat, vel medio tempore contigerit indulgere, quod canonicis et personis earundem ecclesiarum etiam in dignitatibus, personatibus, seu officiis constitutis non residentibus in eisdem, vel qui hujusmodi primam in eis personalem non fecerint residentiam consuetam, fructus, reditus, et proventus beneficiorum suorum hujusmodi mini-

strare minime teneantur, et ad id compelli non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuscunque aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis; proviso, quod beneficia hujusmodi debitis interim non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes vicarios, quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur, et deserviatur inibi laudabiliter in divinis: praesentibus usque ad beneplacitum dictae sedis tantummodo valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hunc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum V. Idus Julii, pontificatus nostri anno septimo.

Joannes de Tremosnicz.

Bulla plumbea consueta.

---

# XXXVII.

Ejusdem pontificis Rom. Bonifacii IX. literae ejusdem argumenti, eodem die et loco, ut priores, datae ad decanos ecclesiarum Wratislaviensis, Lubicensis, et Omnium Sanctorum in arce Pragensi, qui curam gerant, ut beneficiariis in universitate Pragensi studentibus per quinquennium beneficiorum reditus integre ministrentur.

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Wratislaviensis et Lubicensis ac omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decanis salutem, et apostolicam benedictionem. Dum attentae considerationis indagine perscrutamur, quod per literarum studia, cooperante illo, a quo omnium carismatum dona proveniunt, viri efficiuntur scientiis eruditi, per quos aequum ab iniquo discernitur, erudiuntur rudes, provecti ad altiora concrescunt, et fides catholica roboratur, libenter non solum loca, ubi hujusmodi studia pollent, sed studentes in eis communimus gratiis, et libertatibus honoramus. Dilectorum itaque filiorum universorum doctorum, magistrorum, et scolarium studii Pragensis, praesentium et futurorum, supplicationibus inclinati, ipsis auctoritate apostolica tenore aliarum nostrarum literarum indulsimus, ut ipsi, et eorum singuli tam praesentes, quam posteri Pragae literarum studio insistendo, fructus, reditus, et proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum, quae in quibusvis eccle-

siis sive locis obtinent, sive imposterum ipsos et ipsorum singulos obtinere contingeret, etiamsi dignitates, personatus, seu officia forent, et curam haberent animarum, dummodo in cathedralibus post pontificales majores, vel in collegiatis ecclesiis principales dignitates hujusmodi non existerent, cum ea integritate usque ad quinquennium tantum continuum vel interpolatum a die, qua quilibet ipsorum hujusmodi nostra concessione inchoaret, uti, proxime computandum, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere valerent, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis sive locis, in quibus hujusmodi beneficia consisterent, personaliter residerent, et ad residendum interim in eisdem ecclesiis sive locis minime tenerentur, neque ad id inviti a quoquam valerent coarctari; non obstantibus, si doctores, magistri, et scolares praedicti in hujusmodi ecclesiis non fecerint primam personalem residentiam consuetam, et quibuscunque constitutionibus apostolicis, provincialibus et synodalibus, nec non statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus hujusmodi beneficia fuerint, contrariis juramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, etiam si de illis servandis, et non impetrandis literis apostolicis contra ea, et ipsis literis non utendo, etiam ab alio vel aliis impetratis, seu alias quovis modo concessis, doctores, magistri et scolares hujusmodi per se, vel procuratores eorum praestiterint hactenus, vel ipsos imposterum prae-

stare contigerit forsitan juramentum; seu si locorum ordinariis a sede apostolica sit indultum, vel interim indulgeri contingat, quod canonicos et personas ecclesiarum suarum civitatum et dioecesium etiam in dignitatibus, personatibus, seu officiis constitutos per subtractionem proventuum suorum ecclesiasticorum, vel alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; aut si eisdem ordinariis et dilectis filiis capitulis dictarum ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a praefata sede indultum existat, vel medio tempore contigerit indulgeri, quod canonicis et personis earumdem ecclesiarum etiam in dignitatibus, personatibus, seu officiis constitutis non residentibus in eisdem, vel qui hujusmodi primam in eis personalem non fecerint residentiam consuetam, fructus, reditus, et proventus beneficiorum suorum hujusmodi ministrare minime teneantur, et ad id compelli non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuscunque aliis privilegiis, indulgentiis, et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quae nostris literis non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem nostris literis mentio specialis; proviso, quod beneficia hujusmodi debitis interim obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, quibus illa im-

minet, nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes vicarios, quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur et deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Praesentibus usque ad beneplacitum dictae sedis tantummodo valituris.

Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos, vel alium seu alios faciatis eisdem doctoribus, magistris et scolaribus, praesentibus et posteris, ac eorum cuilibet, dictos fructus, reditus, et proventus per hujusmodi quinquennium juxta hujusmodi concessionis nostrae tenorem auctoritate nostra integre ministrari. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si eisdem ordinariis et capitulis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a praefata sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Datum Romae, apud sanctum Petrum V. Idus Julii, pontificatus nostri anno septimo.

Jo. de Tremosnicz.

Bulla plumbea consueta.

# XXXVIII.

**Idem Bonifacius IX. pont. Rom. literis die 22. m. Januarii a. 1397. Romae datis aedificationem capellae Corporis Domini nostri Jesu Christi, et institutionem duorum saltem hujus ecclesiae rectorum ratam habet, quarta oblationum parte rectori parochiali reservata.**

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Humilibus et honestis supplicum votis libenter annuimus, illaque quantum cum Deo possumus, favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Wenceslai, Romanorum et Boemiae regis illustris, et dilectorum filiorum capitaneorum et confratrum confratriae corporis Domini nostri Jesu Christi Pragensis petitio continebat, quod ipsi zelo devotionis accensi, et cupientes terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, de bonis eis a Deo collatis quandam capellam ex lapidibus cum quibusdam altaribus in honorem et sub vocabulo ejusdem corporis Domini nostri, et sanctorum Felicis et Aucti in foro publico novae civitatis Pragensis, in loco largo et spatioso, ubi etiam condemnati ad mortem ultimum supplicium patiuntur, de consensu loci ordinarii, non tamen in his, ut a nonnullis dubitatur, juris ordine legitime observato, fundarunt, et etiam construxerunt, quodque juxta ipsam capellam quoddam altum et

spatiosum aedificium ad modum turris quadrangularis, ut in eo nonnullae, quae imperiales nuncupantur, et aliae quam plures et diversae sacratissimae sanctorum reliquiae certa die cujuslibet anni ad hoc deputata, cum debita reverentia et honore, prout clarae memoriae Carolus, etiam Romanorum et Boemiae rex, praefati Wenceslai genitor, in quodam aedificio ligneo in eodem foro reliquias ipsas publice ostendi faciebat, pro tempore ostendantur, aedificari et construi facere, non absque magnis sumptibus et expensis inoeperunt, ipsumque per eos sic inceptum aedificium rex, capitanei, et confratres praefati, prout quotidie faciunt, augere et ampliare, praefatamque capellam pro tribus vel saltem duobus presbyteris inibi perpetuo in divinis Domino servituris sufficienter dotare proponunt. Quare pro parte regis et capitaneorum ac confratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut fundationem et constructionem praedictas ratas et gratas habere, illasque auctoritate apostolica confirmare, ac eis jus patronatus capellae et altarium praedictorum, ac praesentandi rectores ad hujusmodi capellam et altaria capitaneis et confratribus praedictis praesentibus et futuris reservare, nec non eis, ut oblationes, obventiones et offertoria denariorum, quae in eadem capella pro tempore offerentur, et ad ipsam evenient, per aliquem ad hoc idoneum per eosdem capitaneos et confratres deputandum in conservationem et utilitatem ac fabricam ipsius ca-

pellae convertenda recipere libere et licite valeant, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur hujusmodi regis, capitaneorum, et confratrum praedictorum, pium propositum in Domino quam plurimum commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati fundationem, constructionem et consensum praedictos ratos habentes et gratos, illos auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem; et nihilominus jus patronatus capellae, et altarium praedictorum, et ad illa praesentandi rectores eisdem capitaneis et confratribus, assignata tamen prius per eos sufficienti dote pro tribus vel saltem duobus presbyteris vel rectoribus in eadem capella perpetuo Altissimo servituris, eadem auctoritate reservamus, eisque, ut aliquam idoneam personam, quae tres partes oblationum, obventionum et offertoriorum, denariorum praedictorum duntaxat per eos in conservationem, utilitatem et fabricam dictae capellae convertendas recipere libere et licite possit, deputare, ipsamque ad nutum revocare, et de novo constituere sive instituere valeant, auctoritate praedicta concedimus per praesentes; reliqua vero quarta parte oblationum, obventionum et offertoriorum denariorum hujusmodi rectori parochialis ecclesiae, infra cujus limites dicta capella fundata existit, integre reservata, et ipsius parochialis ecclesiae jure alias in omnibus semper

salvo; non obstantibus, quod super perceptione, retentione, occupatione ac spolio oblationum, obventionum, et offertoriorum jurium ipsius capellae inter rectorem ejusdem ecclesiae nunc existentem, et capitaneos ac confratres praefatos in Romana curia lis, cujus statum haberi volumus praesentibus pro expresso, pendeat indecisa, et tam felicis recordationis Alexandri III. et Bonifacii VIII. Romanorum pontificum, praedecessorum nostrorum, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae confirmationis, communitionis, reservationis, et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, XI. Calendas Februarii, pontificatus nostri anno octavo.

Ja. (?) de Papia. P. de Bosco.
L. de Forlino. Pro A. de Porciano
Eckardus.

Bulla plumbea usitata.

# XXXIX.

Bonifacius IX. pont. Rom. literis ejusdem sed accuratioris argumenti, atque illae Urbani VI. ao. 1383. scriptae (vide n. XVII. pag. 271. sqq.) Romae die 26. m. Januarii a. 1397 datis, 25 annos valituris, item praepositum Moguntinensem, atque decanos, Wratislaviensem et Omnium Sanctorum in castro Pragensi, universitati Pragenae in tuendis ejusdem juribus, reditibus et possessionibus, tanquam conservatores et judices praesidio esse jubet.

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, praeposito Moguntino, et Wratislaviensi, ac Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decanis salutem et apostolicam benedictionem.

In supremae dignitatis specula licet immeriti disponente Domino constituti, dignum censemus et debitum, ut personis litterarum studiis insistentibus, per quae divini nominis et fidei catholicae cultus protenditur, justitia colitur tam publica quam privata, res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, favores gratiosos, et opportunae commoditatis auxilia liberaliter impendamus.

Sane dilectorum filiorum, magistrorum, doctorum et scholarium universitatis studii Pragensis conquestione percepimus, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi, aliique ecclesiarum praelati et clerici, ac ecclesiasticae personae, tam religiosae, quam saeculares, nec non duces, marchiones, comites, barones,

milites, nobiles et laici, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, et aliae singulares personae civitatum et dioecesium, et aliarum partium diversarum, occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, jura et jurisdictiones, nec non fructus, census, reditus et proventus universitatis studii praedicti, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad magistros, doctores et scholares hujusmodi studii communiter vel divisim spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus praestant auxilium, consilium vel favorem. Nonnulli etiam civitatum, dioecesium et partium praedictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eisdem magistris, doctoribus et scholaribus super praedictis castris, villis et locis aliis, terris, domibus, possessionibus, juribus, jurisdictionibus, fructibus, censibus, reditibus et proventibus eorumdem, et quibuscunque aliis bonis, mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus ad eosdem magistros, doctores et scholares spectantibus, multiplices molestias et injurias inferunt ac jacturas, et alias ipsos magistros, doctores et scholares super privilegiis et libertatibus ipsis, universitati, et studio concessis, diversis et gravibus jacturis et violentiis affligere, et molestare praesumunt. Quare pro parte ipsorum magistrorum, doctorum et scolarium nobis fuit humiliter supplicatum, ut, cum eis valde red-

datur difficile pro singulis querelis ad sedem apostolicam habere recursum, providere eis super praemissis paterna diligentia curaremus.

Nos igitur adversus occupatores, praesumtores, molestatores et praesumtores (*sic*) hujusmodi illo volentes eisdem magistris, doctoribus et scholaribus remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia praecludatur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus: Quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis, conservatores et judices, praefatis magistris, doctoribus et scholaribus efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eosdem super his et quibuslibet aliis bonis et juribus ad magistros, doctores et scholares praedictos spectantibus ab eisdem vel quibuscunque aliis indebite molestari, vel eis gravamina, seu damna, vel injurias irrogari, facturi dictis magistris, doctoribus, et scholaribus, cum ab eis, vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de praedictis, et aliis personis quibuslibet super restitutione hujusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, jurisdictionum, et jurium, et bonorum mobilium et immobilium, redituum quoque et proventuum, et aliorum quorumcumque bonorum, nec non de quibuscunque molestiis, injuriis atque damnis, praesentibus et futuris, in illis videlicet, quae judicialem requirunt indaginem summarie, et de plano sine

strepitu et figura judicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, justitiae complementum; occupatores seu detentores, molestatores, praesumtores et injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cujuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque et quotienscunque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii, Papae VIII. praedecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioeceseos ad judicium evocetur; seu, ne judices et conservatores a sede deputati praedicta extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii, vel aliis vices suas committere, vel aliquos ultra unam diaetam a fine dioecesis eorumdem trahere praesumant, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium non trahatur; seu quod de aliis, quam de manifestis injuriis et violentiis, et aliis, quae judicialem requirunt indaginem, poenis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adjectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra cer-

tum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quae vestrae possent in hac parte jurisdictioni aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare; seu, si aliquibus communiter vel divisim a praedicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, et eorum personis, locis, ordinibus, et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam vestrae jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cujusque toto tenore ac de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis.

Ceterum volumus, et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus, quodque a dato praesentium sit vobis, et unicuique vestrum in praemissis omnibus, et eorum singulis coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetuata potestas et jurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et jurisdictio

vestra, et cujuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitima exstitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante; praesentibus post viginti quinque annos a dato praesentium computandos minime valituris. Volumus autem, quodsi alias similis vel alia conservatoria, aut concessio, vel commissio per nos seu aliquos praedecessores nostros, Romanos pontifices, usque ad certum tempus nondum elapsum ad praedictorum supplicantium instantiam super praemissis concessa vel facta fuerit, quod ipsa alias facta concessio vel commissio et literae habitae super eadem ex nunc sint cassae et irritae, nulliusque roboris vel momenti.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, VII. Kalend. Februarii, pontificatus nostri anno octavo.

Ja. (?) de Papia.
L. de Forlino.

P. de Bosco.
Pro Hinrico
G. Bothorn.

Bulla plumbea consueta.

# LX.

**Bonifacius IX. pont. Rom. literis Romae die 26. m. Januarii a. 1397. datis privilegium universitati Pragensi Romae die 11. m. Julii a. 1396. (XXXVI.) concessum tribus annis auget, et ad beneficia antea excepta extendit.**

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, universis doctoribus, magistris et scholaribus studii Pragensis, praesentibus et futuris, salutem et apostolicam benedictionem. Dum attentae considerationis indagine perscrutamur, quod per litterarum studia, cooperante illo, a quo omnium crismatum (*sic*) dona proveniunt, viri efficiuntur scientiis eruditi, per quos aequum ab iniquo discernitur, erudiuntur rudes, provecti ad altiora concrescunt, et fides catholica roboratur, libenter non solum loca, ubi hujusmodi studia pollent, sed etiam studentes in eis communimus gratiis, et libertatibus honoramus. Nuper siquidem nos, vestris supplicationibus inclinati, vobis auctoritate apostolica duximus indulgendum, ut vos et vestrum singuli tam tunc praesentes, quam posteri Pragae litterarum studio insistendo fructus, reditus, et proventus beneficiorum vestrorum ecclesiasticorum, quae tunc in quibusvis ecclesiis sive locis obtinebatis, sive in posterum vos et vestrum singulos obtinere contingeret, etiamsi dignitates, personatus, seu officia forent, et curam haberent animarum, dummodo in cathedralibus post pontificales ma-

jores, vel in collegiatis ecclesiis principales dignitates hujusmodi non existerent, cum ea integritate usque ad quinquennium tantum continuum vel interpolatum, a die, qua quilibet vestrum hujusmodi concessione inchoaret uti, proxime computandum, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere valeretis, cum qua illos perciperetis, si in ecclesiis, sive locis, in quibus hujusmodi beneficia consisterent, personaliter resideretis, et ad residendum interim in eisdem ecclesiis sive locis minime teneremini, neque ad id inviti a quoquam possetis coarctari, certis super hoc vobis executoribus deputatis, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, praedictum quinquennium usque ad triennium a fine ipsius quinquennii computandum auctoritate apostolica prorogamus, ampliamus, et extendimus per praesentes, ac volumus, et vobis praedicta auctoritate tenore praesentium concedimus, quod vos, et vestrum singuli tam praesentium, quam dictarum litterarum vigore fructus, reditus et proventus dictorum beneficiorum, etiamsi beneficia ipsa dignitates in cathedralibus post pontificales majores, et in collegiatis ecclesiis principales fuerint, et ad eas, qui per electionem assumantur, per totum tempus octo annorum praedictorum alias secundum formam et tenorem dictarum litterarum percipere libere possitis, dictique executores tam praesentium, quam earumdem litterarum

vigore hujusmodi fructus, reditus, et proventus per totum tempus hujusmodi, etiamsi ipsa beneficia dignitates in cathedralibus majores post pontificales, et in collegiatis ecclesiis principales fuerint, et ad eas consueverint, qui per electionem assumi, vobis et vestrum singulis integre mininistrari facere possint et debeant, ac si haec in dictis litteris plene et expresse per nos concessa forent priori voluntate nostra et omnibus aliis non obstantibus, quae in eisdem litteris volumus non obstare. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae prorogationis, ampliationis, extensionis, voluntatis, et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, VII. Kalend. Febr., pontificatus nostri anno octavo.

Ja. (?) de Papia.
L. de Forlino.

P. de Bosco.
Pro Hinrico.
G. Bothorn.

Bulla plumbea solita.

# XLI.

**Wenceslaus IV. Rom. et Boh. rex, sororis suae Hedvigis, Poloniae reginae, collegium emtione domus et comparatis reditibus annuis 200 sexag. fundatum literarum Pragae die 20. m. Julii a. 1397. datarum patrocinio adprobat, et auctoritate regia confirmat.**

Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis. Inter cetera, quae sollicitudinis nostrae cura cottidiana et diligenti meditatione revolvit, illud occurrit nostrae considerationi praecipuum, qualiter venerandus orthodoxae fidei nostrae cultus ampla occidui orbis extendatur in climata, populoque sedenti in tenebris et in umbra mortis lux adoptata resplendeat, ut qui eatenus errore miserabili ferebatur in devium, post periculosam negligentiam ad viam salutis redeat, et vias suas tam damnosas tamque pestiferas finaliter derelinquat. Etenim conditor orbis, omnipotens Deus, sicut inter illa nascentis fidei cunabula, ac teneram ecclesiae lactantis infantiam populum suum sanctae praedicationis eloquiis erudiri constituit, sic et nunc vergente in senium saeculi corruptela, converso ad se delectatur in populo vaporantis fidei ardore succenso in tantum, ut si hunc religiosi itineris vias ac veritatis semitas perambulare, et in eis manere conspexerit, non solum ipsum de

antiqui hostis dominio eripere, verum etiam regni coelestis eidem dignetur januam aperire.

Sane pro parte serenissimae principis dnae. Hedvigis, reginae Poloniae etc., sororis nostrae carissimae oblata nuper majestati nostrae petitio continebat, quod cum ipsa ad propagandam in terris et dominiis suis, ac etiam locis circumvicinis sacrosanctam fidem catholicam certas personas a partibus Lytwaniae vel alibi oriundas eligere, ipsasque ad studium civitatis nostrae Pragensis decreverit destinare sub eo proposito, ut ibidem sacra facultate theologica cognita, et, quantum ipsis ab alto concessum fuerit, realiter apprehensa veritatis doctrinam in gentes illarum partium, quae hactenus nec Dominum norunt, nec ejus nomen magnificum invocarunt, debeant fideliter derivare. Ad usus quoque dictarum personarum studere debentium domum in eadem civitate nostra Pragensi, nec non ducentas sexagenas census annui providerit comparandum, quatenus emptioni domus et census hujusmodi consensum nostrum adhibere, ipsam quoque domum et censum ad usus dictarum personarum appropriare, annectere et inviscerare gratiosius dignaremur.

Nos praefatae sororis nostrae precibus utpote rationabilibus atque justis benignius inclinati, non per errorem aut improvide, sed animo deliberato, sano fidelium nostrorum accedente consilio, regia auctoritate Boemiae, et de certa nostra scientia ad honorem omnipotentis Dei, totiusque curiae coele-

stis, et signanter pro roboranda nostris temporibus sacra fide catholica, ad hoc, ut praefata soror nostra, seu ipsius procuratores pro habitatione personarum hujusmodi studere debentium, domum in civitate nostra Pragensi, majori videlicet aut nova, comparare possint et valeant, consensum nostrum regium adhibuimus, et virtute praesentium gratiosius adhibemus, ipsamque domum cum area et circumferentiis suis ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc ab omnibus et singulis angariis, perangariis, stewris, losungis, exactionibus, impositionibus, ac aliis gravaminibus, quocumque nomine censeantur, exemimus, et libertavimus, eximimus, et tenore praesentium totaliter libertamus; et similiter censum ducentarum sexagenarum praecedentium per eandem sororem nostram, seu ipsius procuratores in regno nostro Boemiae in bonis tamen liberis, sed non feodalibus, simul aut successive comparandum ad usus personarum studere debentium, ut praefertur, ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc appropriamus, annectimus et incorporamus per ipsas ex nunc in antea perpetuis temporibus juxta dispositionem et ordinationem supra dictae sororis nostrae, seu procuratorum ipsius habendum, tenendum et pacifice possidendum, litteras quoque per eandem sororem nostram, seu ipsius procuratores tam super domo, quam etiam censu supradicto datas vel dandas, et omnem ipsius seu eorum dispositionem, ratas habentes et gratas, ipsas regia auctoritate prae-

dicta, et de certa nostra scientia approbamus, ratificamus, et praesentis scripti patrocinio gratiosius confirmamus; mandantes nihilominus universis et singulis baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, burggraviis, officialibus civitatum, et oppidorum communitatibus, et signanter magistris civium, consulibus et scabinis majoris et novae civitatum Pragensium, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, firmiter et districte, quatenus praefatam sororem nostram, seu ipsius procuratores in emptione domus et census, praefatasque personas studere debentes in possessione domus, aut perceptione hujusmodi nequaquam impediant, nec impediri per quempiam patiantur; quin potius circa hujusmodi protegant, manuteneant fideliter, et defendant, prout gravem indignationis nostrae offensam voluerint arcius evitare. Praesentium sub regiae nostrae majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Pragae, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, die vicesima Julii, regnorum nostrorum anno Boemiae tricesimo quinto, Romanorum vero vicesimo secundo.

Ad relationem Sigismundi subcamerarii
Wlachnico de Weytenmule.

*A tergo:* R. Bartholom. de Nova-civitate.

Sigillum regis Wenceslai pendulum, cereum.

# XLII.

**Hedvigis, Poloniae regina, regis Wenceslai soror, ad propagandam per viros in s. theologia versatos in Lithuania, vicinisque regionibus religionem Christianam literis Cracoviae die 10. m. Novembris a. 1397. datis, Wenceslao rege adprobante et consentienté in Lithuanorum et aliorum ad sacras paginas incumbere volentium usum Pragae domum emit, 200 sexag. gross. reditus adsignat, procuratoresque nominat, quorum arbitrio rem omnem gerendam committit.**

In nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum spectabile opus, et actus laudabilis sit principum, universis et singulis sibi subditis suae januam clementiae aperire, sed longe magis illud est clarius, et laudis affert praemium dignioris, inter alios, quibus suae munificentiae dexteram porrigit, et maxime illis, qui christianae religionis instantia se divinae majestatis servitio, per quam reges regnant, et principes principantur, vita saeculari et arescentis saeculi vanitatibus postpositis, dedicarunt; sic enim equilibrate satisfacit debito rationis, sic fideles in fidei perseverantia consolidat et confirmat, sic divinis obediens cultibus, regis superni gratiam promeretur.

Proinde Nos Hedvigis, Dei gratia regina Poloniae, et heres Hungariae regnorum etc. significamus universis, quibus expedit, praesentium notitiam habituris, quod considerantes et diligenter dirigentes aciem nostrae mentis, quomodo a tempore, quo

Deo auspice culmina conscendimus regni nostri, in terris nostris Lithuaniae, et aliis convicinantibus eisdem, populus, qui in gehennalis mortis caligine ambulabat, de coecitate perfidiae ad lucem, Deum verum dudum incepit consurgere, atque sacri baptismatis fonte in maxima parte jam renatus, sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae unitatem firmiter teneat, et eidem faciat obedientiam reverentem, jamque nonnulli de Lithuanorum et aliorum inibi filiis sancti Spiritus rore perfusi ad scolasticum studium catholicum, tamquam cervus ad fontes aquarum, sitientes confluunt, et disciplinam docentium eos mansuetissime amplectendo, jam quasi modo geniti infantes lac, et tamquam felix Chananaea micas verbi Dei, quae cadunt de mensa nobilis et opulentissimae theologiae, et in orbe semen ejus seminantium concupiscunt; unde nos volentes, quantum nobis ab alto conceditur, ut in praedictis neophitis non solum scientiarum et virtutum claritas, quae olim tenebrescebat erroribus, fidei catholicae splendoribus serenius modo jam diescat; verum etiam sole justitiae Christo Jesu in ipsos, velut in clypeos aureos refulgente, montes populi Lithuani et aliorum in operibus catholicis inextinguibiliter resplendeant ab eisdem, vineaque Domini Sabaoth per eos ibi indeficienter plantetur, ac urticae perfidiae in atrio Domini pungentes radicitus extirpentur, sicque ipsis animas Christo lucrifacientibus operationes pias, quas ad haec eis de bonis a Deo

nobis creditis cooperamur, et seminamus in hac tellure mortali, colligere in aeterna beatitudine valeamus. Horum contemplatione invigilavimus sollicite, et quomodo affectum manciparemus effectui, plurimas noctes transivimus insomnes, et jactantes in Domino cogitatum, decrevimus unam domum, et cum hoc ducentas sexagenas grossorum ad usus dictorum Lithuanorum, et aliorum in sacra pagina studere volentium in civitate Pragensi vel citra comparandas, dummodo serenissimi principis domini Wenceslai, eadem gratia Romanorum regis, et Boemiae regis semper augusti, fratris nostri carissimi, ad id voluntas accederet et consensus. Et quoniam ipse dominus rex, frater noster carissimus, nobis justa desiderantibus gratiam in eo faciens, ad hoc assensum suum praebuit et consensum per literas suas sigillo suo communitas, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis: „Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis; inter cetera, quae sollicitudinis nostrae cura cottidiana“ *et s. p. ut n. XLI. p.* 355 — 358. — Nos igitur Hedvigis, regina praedicta, de hujusmodi gratia per ipsum dominum regem, fratrem nostrum carissimum, nobis facta contentae literas ejus praescriptas per omnia ratas gratas habentes, perpetuo atque firmas eidem domino regi multas pro eo referimus gratiarum actiones, cupientesque gratiam hujusmodi nobis factam deducere ad effectum, ex eo, quia de talibus inibi Pragae dis-

ponere praesentialiter non valemus, constituimus, ponimus, facimus, et modo, forma, quibus melius possumus, de certa nostra scientia ordinamus nostros veros legitimos, et indubitatos procuratores, actores, factores, negotiorum gestores et nuncios speciales ac etiam generales, ita, quod specialitati generalitas non deroget, nec e contra, honorabilem et religiosum ac honestos viros, videlicet magistrum Joannem, dictum Sczekna, fratrem ordinis Cisterciensis, sacrae theologiae baccalarium, plebanum de Przemancow, curiae nostrae capellanum familiarem, devotum, dilectum, praesentem, et in se onus procurationis (*fere deletum*) sponte suscipientem, Crucem Institorem, et Nyepronem, cives majoris civitatis Pragensis, absentes tamquam praesentes, omnes, et quemlibet eorum in solidum, ita, quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi, mediare valeat et finire; dantes et concedentes virtute praesentium eisdem procuratoribus nostris, et eorum cuilibet plenum mandatum et omnimodam potestatem, domum et censum annuum praedictos emendi, comparandi, exsolvendi, ordinandi, disponendi, procurandi, personas studere debentes recipiendi, admittendi, destituendi, et si necesse fuerit, iterum resumendi, domum hujusmodi regendi, tuendi, reparandi, de ea disponendi, censum praedictum levandi, quietandi, de eo disponendi, convertendi, agendi, defendendi, libellum seu libellos aut quaecumque alia jura, argumenta seu documenta offe-

rendi, offerri videndi, copiam seu copias productorum quorumcumque, et instrumenta, ac quasvis literas necessarias petendi, recipiendi, testes, probationes et articulos inducendi, induci videndi, a quocumque gravamine appellandi, appellationem prosequendi, unum vel plures procuratorem seu procuratores loco sui substituendi, revocandi, et in se onus procurationis resumendi, quando et quotiens eis, vel alteri eorum videbitur opportunum, omniaque alia et singula in facto (?) domus et census praedictorum faciendi, procurandi et exercendi, quae veri et legitimi procuratores in talibus et circa talia facere debent et consueverunt, et quae nosmet faceremus, si praemissis personaliter interessemus, promittentes tenore praesentium omnia et singula rata, grata atque firma perpetuo tenere, et irrevocabiliter observare, quaecumque per memoratos procuratores nostros, aut eorum alterum, vel substitutos ab eis acta, facta, procurata, seu ordinata fuerint in praemissis et quolibet praemissorum. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum.

Datum Cracoviae die decima mensis Novembris anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo. Per manus honorabilis Alberti Jastrzambecz, Gnesnensis et Cracoviensis ecclesiarum scolastici, cancellarii aulae nostrae fidelis dilecti.

Sigillum pendulum reginae Poloniae.

# XLIII.

Bonifacius IX. pont. Rom. literis Romae die 11. m. Novembris a. 1397, datis Fidelibus poenitentibus et confessis, expressisque diebus festis capellam Corporis Christi devote visitantibus tres annos totidemque quadragenas, octavarum vero diebus ita accedentibus centum dies de injunctis poenitentiis relaxat.

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem, et apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia suae pietatis, quae merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo majora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem, et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi, quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores.

Cupientes igitur, ut capella corporis Christi novae civitatis Pragensis, quae, ut asseritur, in honorem sanctorum Felicis et Aucti fundata et constructa existit, a Christi fidelibus congruis honoribus frequentetur, et etiam conservetur, et ut ipsi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem capellam, et ad conservationem hujusmodi promptius manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibi-

dem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis, et corporis Domini nostri Jesu Christi, ac Pentecostes, nec non nativitatis, annuntiationis, purificationis, et assumptionis beatae Mariae virginis, et nativitatis beati Joannis Baptistae, et dictorum apostolorum Petri et Pauli, ac eorumdem sanctorum Felicis et Aucti, nec non ipsius capellae dedicationis festivitatibus, et in celebritate omnium Sanctorum, nec non per ipsarum nativitatis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis, et corporis Domini, ac nativitatis et assumptionis beatae Mariae, nec non nativitatis beati Joannis, et apostolorum Petri et Pauli praedictarum festivitatum octavas, et per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes, praefatam capellam devote visitaverint, annuatim, et ad conservationem hujusmodi manus porrexerint adjutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis, tres annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus, quibus capellam ipsam visitaverint, et manus adjutrices porrexerint, ut praefertur, centum dies de injunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quodsi alias visitantibus dictam capellam, aut ad ejus fabricam vel conservationem seu reparationem manus porrigentibus adjutrices,

vel alias inibi pias eleemosynas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, praesentes litterae nullius existant roboris vel momenti.

Datum Romae apud sanctum Petrum, III. Idus Novembris, pontificatus nostri anno nono.

T. Fabri. Ja. de Bononia.
Ja. de Bononia. Pro Jo. Panella
Fredericus.

Bulla plumbea solita.

---

# XLIV.

Bonifacius IX. pont. Rom. literis Romae die 9. m. Decembris a. 1397. de capella Corporis D. N. J. Ch. datis scriptas antea, die scil. 22. m. Januarii a. e. (vide n. XXXVIII. pag. 342.) confirmat; eo tamen corrigit, ut oblationum quartam partem rectori ecclesiae parochialis prius reservatam modo ejusdem quoque capellae ad usum destinet.

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Apostolicae sedis providentia circumspecta ad hoc libenter intendit, ut his, per quae divini cultus augmentum impediri, et inter Christi fideles dissensiones, aut discordias exoriri posse conspexerit, valeat utiliter et salubriter providere. Dudum siquidem pro parte carissimi in Christo filii nostri Wenceslai, Romano-

norum et Bohemiae regis illustris, et dilectorum filiorum capitaneorum et confratrum confratriae Corporis Domini nostri Jesu Christi, et sanctorum Felicis et Aucti in foro publico novae civitatis Pragensis nobis exposito, quod olim ipsi zelo devotionis accensi, ac cupientes terrena in coelestia, et transitoria in aeterna felici commercio commutare, de bonis eis collatis a Deo quandam capellam ex lapidibus cum quibusdam altaribus sub vocabulo ejusdem Corporis Domini nostri Jesu Christi ac ss. Felicis et Aucti in foro publico novae civitatis Pragensis praedictae, in loco largo et spatioso, ubi etiam condemnati ad mortem ultimum supplicium patiuntur, de consensu loci ordinarii, non tamen in his, ut a nonnullis dubitabatur, juris ordine legitime observato, fundaverant, et etiam construxerant, quodque juxta ipsam capellam quoddam altum et spatiosum aedificium ad modum turris quadrangularis, ut in eo nonnullae, quae Imperiales nuncupantur, et aliae quam plures et diversae sacratissimae sanctorum reliquiae certa die cujuslibet anni ad hoc deputata, cum debita reverentia et honore, prout clarae memoriae Carolus, etiam Romanorum et Boemiae rex, ipsius Wenceslai genitor, in quodam aedificio ligneo in eodem foro reliquias ipsas publice ostendi fecerat, pro tempore ostenderentur, aedificari et construi facere, non absque magnis sumptibus et expensis inceperunt, ipsumque aedificium per eos sic inceptum, rex, capitanei, et confratres praefati, prout continue faciebant, adaugere

et ampliare, ac eandem capellam pro tribus vel saltem duobus presbyteris inibi Domino perpetuo servituris sufficienter dotare proposuerant.

Nos fundationem, constructionem et consensum praedictos gratos habentes et ratos, illos auctoritate apostolica ex certa scientia per alias nostras litteras confirmavimus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerant in eisdem, et nihilominus jus patronatus capellae et altarium praedictorum, et jus praesentandi rectores ad ipsam eisdem capitaneis et confratribus pro tempore existentibus, assignata, tamen prius sufficienti dote pro tribus, vel saltem duobus presbyteris vel rectoribus in eadem capella perpetuo Altissimo servituris, eadem auctoritate reservavimus, eisque, ut aliquam personam idoneam, quae tres partes oblationum, obventionum et offertoriorum denariorum, quae in eadem capella pro tempore offerent, et ad ipsam evenirent, duntaxat per eos in conservationem, utilitatem et fabricam dictae capellae convertendas recipere libere et licite posset, deputare, ipsamque ad nutum eorum revocare, et aliam de novo constituere seu instituere valerent, per easdem litteras concessimus; quarta vero parte oblationum, obventionum et offertoriorum denariorum praedictorum rectori parochialis ecclesiae, infra cujus limites praedicta capella fundata extiterat, integre reservata, nihilominus dictae parochialis ecclesiae jure alias in omnibus semper salvo, prout in eisdem litteris plenius continetur.

Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum regis, capitaneorum, et confratrum petitio continebat, a nonnullis revocetur in dubium, an de pecuniis et aliis bonis, quae per Christi fideles specialiter pro conservatione seu fabrica, aut ornamentis ipsius capellae donari, seu legari, aut alias deputari vel ordinari, seu ad truncos deponi forsan continget, etiam debeat praefato rectori hujusmodi quarta pars juxta dictarum litterarum tenorem reservari, ipsique capitanei et confratres timeant propterea inter eos et dictum rectorem, etiam pro tempore existentes, dissensiones et discordias posse imposterum exoriri, pro parte ipsorum regis et capitaneorum ac confratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc salubriter providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati volumus, et apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus, quod praefati capitanei et confratres, seu persona per eos ad hoc deputata de hujusmodi pecuniis vel aliis bonis, quae per Christi fideles, ut praefertur, pro conservatione seu fabrica duntaxat, aut ornamentis dictae capellae donata, seu legata, aut alias deputata, vel ordinata, seu ad truncos deposita fuerint, quartam partem praedicto rectori reservare, seu etiam quomodolibet ministrare minime teneantur, quem in dictis litteris voluimus non obstare, et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae

voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, V. Idus Decembris, pontificatus nostri anno nono.

T. Fabri. Pro A. de Portugruaro
Gerlacus.

Bulla plumbea usitata.

---

# XLV.

**Bonifacius IX. pont. Rom. literis Romae die 21. m. Decembris a. 1397. datis cunctos in universitatis Pragensis studio existentes ab omni ordinariorum, etiam legatorum natorum jurisdictione eximit, tribuens universitatis rectori, dummodo minoribus sit initiatus ordinibus, accedente quatuor consiliariorum assensu, plenam et irrestrictam jus dicendi potestatem.**

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Nonnunquam instans devotorum supplicatio nos inducit, ut ipsorum petitiones, per quas eorum quieti consulitur, et ipsorum gravaminibus occurritur, ad exauditionis gratiam admittamus. Devotis igitur dilectorum filiorum universitatis studii Pragensis, pro quibus etiam charissimus in Christo filius noster Wenceslaus, Romanorum et Bohemiae rex illustris, nobis humiliter supplicavit, petitionibus inclinati volumus,

et apostolica auctoritate tenore praesentium irrefragibiliter statuimus, et etiam ordinamus, quod de cetero nullus ex dictis universitate praesens in ipso studio pro tempore existens, coram quocumque Ordinario, etiam legato nato, aut alio judice delegato vel subdelegato, etiam auctoritate quarumcunque litterarum, seu rescriptorum a sede praedicta sub quacunque verborum forma impetratorum, seu imposterum impetrandorum plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de hujusmodi nostris statuto et ordinatione mentionem non facientium, super quibuscunque bonis mobilibus aut immobilibus, juribus, actionibus civilibus, criminalibus, saecularibus vel profanis, aut rebus aliis in civitate et dioecesi Pragensi tantummodo consistentibus invitus in causam trahi, seu ad judicium evocari valeat, seu respondere, aut comparere quomodolibet teneatur; quodque omnes et singuli de ipsis universitate praesentes pro tempore in dicto studio existentes teneantur et debeant pro praemissis coram rectore universitatis dicti studii pro tempore existente juri stare, et ecclesiae, ac ipsius rectoris mandatis et decretis honestis et decentibus obedire. Nos enim rectori dictorum universitatis, qui pro tempore fuerit, etiamsi dignitatem vel personatum seu canonicatum et praebendam alicujus ecclesiae cathedralis non obtinuerit, et in minoribus duntaxat ordinibus constitutus fuerit, una cum consilio et assensu quatuor consiliariorum dictorum universitatis juxta consuetu-

dinem ejusdem studii pro tempore electorum seu eligendorum, omnes et singulas causas, tam civiles et criminales, quam mundanas et profanas, quae inter quoscunque de universitate praedictos, et quae per quemcunque seu quoscunque cives, habitatores et incolas, aut aliam vel alias personas in dicta civitate Pragensi pro tempore existentes, contra aliquem vel aliquas de dictis universitate super praemissis, seu super injuriis etiam in dictis civitate et dioecesi illatis vel inferendis, conjunctim vel divisim, etiam per viam reconventionis pro tempore movebuntur, convocatis partibus cognoscendi, audiendi, et sine debito terminandi, et etiam cum sibi videbitur, summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii, sola facti veritate inspecta, procedendi, de quibuscumque criminibus, delictis et excessibus per quemcunque seu quoscunque de dictis universitate, cujuscunque etiam dignitatis, facultatis, status, gradus, ordinis, conditionis vel praeeminentiae fuerit, seu fuerint, inquirendi, ipsaque crimina, delicta et excessus juxta canonicas sanctiones corrigendi et puniendi, ac carceres publicas et privatas pro hujusmodi correctione et punitione fiendis in dicta civitate Pragensi eligendi et tenendi, ac quod decreverit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari faciendi, et quoscunque cives, incolas, habitatores et alias personas dictae civitatis alicui, seu aliquibus de dictis universitate, communiter vel divisim, damna, molestias, aut injurias in

personis seu rebus eorum inferre, seu irrogare praesumentes, simili censura ad satisfactionem et emendam condignam, juris ordine observato, compellendi, quoscunque etiam processus praemissorum occasione habendos, quotiens expedierit, aggravandi, et contradictores quoslibet ac rebelles censura simili, appellatione cessante, compellendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; nec non quascunque excommunicationis, suspensionis, seu interdicti aut alias sententias, seu censuras propterea per eum ferendas in forma ecclesiae consueta relaxandi, ac pro modo culpae poenitentiam salutarem injungendi, et omnimodam jurisdictionem ordinariam in ipsos universitatem conjunctim et divisim exercendi, ac omnia alia et singula, quae circa praemissa fuerint, quomodolibet opportuna agendi, plenam et liberam auctoritate praedicta per praesentes concedimus potestatem, constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Seu si aliquibus communiter vel divisim a praefata sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, et eorum personis, ordinibus, et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non

insertam ipsius rectoris jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit de verbo ad verbum in nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, statuti, ordinationis, concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, XII. Calendas Januarias, pontificatus nostri anno nono.

Jo. de Bononia,
Gratis de mandato domini PP.
Jo. de Ferentino.

Bulla plumbea solita.

---

## XLVI.

**Wenceslaus IV. Rom. et Boh. rex, literis die 30. m. Januarii a. 1399. Pragae datis collegium a se constitutum ac nominatum ab omnibus cujuscunque nominis tributis et oneribus perpetuo liberum declarat.**

Wenceslaus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis. Inter varias atque multipli-

ces sollicitudinum regalium curas, quibus pro subditorum quiete, ac terrarum nobis subjectarum tranquillitate mens nostra frequenter distenditur, noster circa hoc potissime animus assidua meditatione versatur, qualiter praeclarum regnum nostrum Boemiae rerum victualium ubertate fecundum, prudentum virorum ornatu resplendeat, et vicinas provincias literarum scientia et altis quidem consiliis antecellat; nihil est enim, quod honorem nostrum magis extollere, nomenque nostrum possit apud extraneos dilatare, nisi hoc, ut nostra sollicitudine interveniente, vir extraneus natalis soli relicta dulcedine ad lares nostros perveniat, et adipiscendae causa scientiae parentes et proximos post tergum relinquat. Is enim in virum alterum scientia operante convertitur, dum ab eo innata ruditas depellitur, et deinceps commisceri stolidis et idiotis aspernatur. In una quoque persona terna profecto consurgit utilitas, dum nobis et regno nostro honor, parentibus gaudium, et clerico proficienti morum initium, et scientiae pervenit incrementum. Merito itaque in dirigendis nobilis scientiae facultatibus serenissimi principis, quondam domini et genitoris nostri, dom. Caroli, Roman. imperatoris semper augusti et Boemiae regis, tempora reviviscere volumus, ut, quae per intervalla quantalibet passim quassata perierant, sub nostrae juventutis primordiis seniliter juvenescant.

Sane dudum pensatis benigne gratis, fidelibus, et studiosis obsequiis majestati nostrae per honorabi-

les magistros et scolares domus seu collegii per nos erecti, fundati, et futuris temporibus Dei auxilio ampliandi, quod a regiae majestatis nostrae nomine sumpsit vocabulum, ac collegium regis Wenceslai nuncupatur, impensis et processu temporis eo quidem studiosius impendendis, domum ipsorum praedictam, sitam in majori civitati Pragensi, in parochia sancti Galli, penes domum Henrici dicti Mali, parte ab una, et domum Makalonissae viduae, parte ab alia, cum ipsius domus area, limitibus et circumferentiis universis, prout eandem domum pro nunc actu et usu tenent et possident, ab omnibus et singulis bernis, lozungis, contributionibus, impositionibus, seu aliis quibuscumque solutionibus, quocunque nomine, seu quibusvis vocabulis censeantur, per magistrum civium, consules et juratos majoris civitatis Pragensis regio nomine, seu alias quomodolibet imponi et postulari consuetis, impositis, seu imposterum imponendis, non per errorem, aut improvide, sed animo deliberato, et de certa nostra scientia exemimus, absolvimus, libertavimus, eximimus, absolvimus virtute praesentium, auctoritate regia Boemiae, et gratiosius libertamus, decernentes et expresse volentes, ut praefata domus cum suis circumferentiis et pertinentiis supra scriptis ex nunc in antea perpetuis temporibus libera censeri et esse debeat penitus et exempta.

Inhibemus igitur universis et singulis nostris et regni nostri Boemiae officialibus et signanter magistro civium, judici, consulibus et juratis majo-

ris civitatis Pragensis, qui pro nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, ceterisque nostris et dicti regni nostri Boemiae fidelibus tenore praesentium firmiter et districte, ne videlicet ipsi praefatos magistros et scolares seu studentes in praefata domo contra praesentis nostrae libertationis, absolutionis, exemtionis, seu dispositionis gratiam impediant, seu impediri per quempiam quomodolibet patiantur; quin potius ipsos circa hujusmodi defendant nostro nomine, et conservent, prout gravem indignationem nostram voluerint arcius evitare. Praesentium sub regiae nostrae majestatis sigillo testimonio literarum.

Datum Pragae anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono, die penultima Januarii, regnorum nostrorum anno, Boemiae tricesimo sexto, Romani vero vicesimo tertio.

Ad relationem Sigismundi subcamerarii
Wenceslaus, canonicus Pragensis.

# XLVII.

Blasius Lupus, decanus ecclesiae Omnium SS. muneris judicis et conservatoris universitatis Pragensis auctoritate et potestate ab Urbano VI. pont. Rom. delata (*vide n. XVII. pag. 271. sqq.*) usus, litem inter Martinum Clementis de Budweys, universitatis scholarem, et Bohunconem dictum Mostek de Usk de molendino coortam literis a notario publico Martino Galli de Tirnavia die 25. Maji a. 1400. confectis dirimit.

In nomine Domini, Amen. Sanctissimus in Christo pater et dns. dns. Urbanus, felicis recordationis papa VI., magistris, doctoribus et scholaribus almae universitatis studii Pragensis, apostolicas conservatorias literas in forma: „In supremae dignitatis specula" concessit gratiose, quarum literarum apostolicarum tenor per omnia sequitur, et est talis: Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis praeposito Maguntinensis et Wratislaviensis, ac OO. SS. in castro Pragensi ecclesiarum decanis salutem et apostolicam benedictionem. In supremae etc. (*sequitur jam bulla integra n. XVII. pag. 271. sqq. exstans*). Vigore quarum literarum apostolicarum nos Blasius, dictus Lupus, decanus ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi, judex et conservator jurium et privilegiorum dictorum dominorum magistrorum, doctorum et scholarium universitatis studii Pragensis, per easdem literas apostolicas specialiter deputatus, ad instan-

tiam et petitionem discreti viri Martini, nati Clementis de Budweys, scholaris studii universitatis antedictae, de quo pleniter sumus informati, honestum virum Bohunconem dictum Mostek de Usk, cui dictus Martinus scholaris causam et causas movere intendebat, citari mandavimus ad certum peremtorium terminum competentem, ad dicendum contra literas apostolicas conservatorii et jurisdictionem nostram, si quid dicere vellet, et praefato Martino scholari de justitia responsurus. In quo termino idem Martinus quemdam libellum contra praefatum Bohunconem in scriptis obtulit per omnia hujusmodi sub tenore:

Coram vobis, honorabili viro domino Blasio, dicto Lupus, decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi, judice, conservatore jurium, privilegiorum dominorum magistrorum, doctorum, et scholarium almae universitatis studii Pragensis, una cum aliis certis vestris in hac parte collegis, et cum illa clausula, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios etc. a sede apostolica delegato, et specialiter deputato, procurator et nomine procuratorio discreti viri Martini, filii Clementis de Budways, scholaris studii Pragensis contra et adversus Bohunconem, dictum Mostek, oppidanum de Usk super Luznicz Pragensis dioecesis, seu contra quamlibet aliam personam pro eo legitime intervenientem in jure cum querela proponit et dicit: Quod licet praefatus Clemens Muzyk, pater praedicti Martini actoris, olim ante decem annos dicto

Bohunconi unum molendinum, ibidem in Usk super flumen Luznicz inter monasterium et pontem dicti oppidi Usk cum quinque rotis situatum, una cum area et domo, eidem molendino adjunctis, aliisque pertinentiis ejusdem pro centum sexagenis grossorum Pragensium argenteorum vendiderit, ac ipse Bohunco praedictum molendinum, quod tunc justo titulo ad praefatum Clementem spectabat et pertinebat, nuncque spectat et pertinet, pro dicta summa centum sexagenarum grossorum praedictorum emerit, et comparaverit, tali conditione inter ipsos hinc inde apposita, videlicet, quodsi hujusmodi summa pecuniae centum sexagenarum grossorum infra unum annum a die contractus, emtionis, et venditionis praedictae non fuit dicto Clementi persoluta, quod res sit inemta, et ipsum molendinum ad praefatum Clementem venditorem cum omnibus utilitatibus, usufructu, et obventionibus deberet devolvi; et quamvis praefatus Bohunco, pars adversa, praefatas centum sexagenas grossorum, pretium molendini, hucusque dicto Clementi non solverit, sed solvere contradixerit, et de fructibus, obventionibus, et usufructu, quolibet anno minima aextimatione viginti duas sexagenas grossorum perceperit, et usus fuerit, monitus tamen per dictum Clementem non semel, sed pluries, ut ab occupatione et detentione ipsius molendini illicitis desisteret, et illud cum fructibus, utilitatibus, et usufructu, spatio decem annorum perceptis, qui et quae se extendunt summatim computando ad ducentas cum viginti sexa-

genis grossorum aextimatione leviori restitueret, ea facere contradixit, et die hodierna contradicit. Et licet praefatus Clemens bona deliberatione ac sano consilio praehabitis, sine dolo et fraude, non compulsus, nec coactus, nec deceptus, sed nec aliqua spe in subscripta donatione futurae remunerationis sibi penitus reservata donatione irrevocabili inter vivos, praescripto Martino filio suo emancipato, omnes actiones tam reales, quam personales, utiles et directas ad pias causas cesserit, dederit, ac donaverit, transferens in eundem, et transfundens omne jus, et actiones sibi adversus praescriptum Bohunconem, ad exigendum et repetendum omnia praemissa, coram quocunque judice, ordinario vel delegato, promittens bona fide, contra hujusmodi donationem non contravenire publice vel occulte. Tamen praefatus Bohunco, pars rea, monitus per dictum Martinum cessionarium ea, ut praefertur, dare, facere et adimplere, et de praemissis satisfacere hucusque distulit, et die hodierna contradicit. Quare petit procurator is, qui supra, pronuntiari, decerni et declarari praefatum Bohunconem ad condescendendum de dicto molendino et ipsius pertinentiis, et ad restituendum ducentas sexagenas grossorum praedictorum pro usufructu et utilitatibus praescriptis, spatio decem annorum perceptis et usurpatis, dicto Martino cessionario fore condemnandum, et debere condemnari ad praemissa et quodlibet praemissorum vestra diffinita sententia mediante, vestrum ad hoc officium humiliter implorando.

Petit insuper expensas in lite factas de facienda protestatione salvo jure addendi, minuendi etc. ut in forma.

Ad quem libellum honestus vir Mauritius dictus Machuta de Hostywarz, procurator. et nomine procuratorio dicti Bohunconis, de cujus procurationis mandato constat, per acta causae praesentis, in mag. Petri de Sderaz, advocati consistorii Pragensis, similiter procuratoris, et nomine procuratorio Martini nati Clementis, studentis, de cujus procurationis mandato sibi constat, apud acta causae praesentis, quamdam litis contestationem in scriptis obtulit, et produxit hujusmodi sub tenore:

Salva impertinentia, ineptitudine, et mala materia cujusdam praetensi libelli pro parte Martini Clementis de Budways, scholaris universitatis studii Pragensis, et contra Bohunconem de Usk super Luznicz, Pragensis dioecesis, dati et oblati, ac salva falsitate deductorum in eodem, salvisque juribus, et defensionibus, jurium additionibus tempore et loco dandis et proponendis, procurator dicti Bohunconis eidem praetenso libello respondet negando narrata, prout narrantur, hoc adjiciendo, quod dictus Bohunco nude, pure et sine omni conditione emit a Clemente, dicto Muzik, patre dicti Martini molendinum, ibidem in Usk super flumen Luznicz, inter monasterium et pontem dicti oppidi Usk cum quinque rotis situatum, una cum domo et area, eidem domo adjunctis, aliisque pertinentiis ejusdem molendini, pro centum sexagenis grossorum Pragensium, et quod dictus Bohunco de

scitu, voluntate ac mandato dicti Clementis, dictas centum sexagenas grossorum dedit, tradidit, numeravit, et assignavit nobili viro domino Wenceslao de Usk, Baroni regni Bohemiae; et quod ipse Clemens ex dictis causis recepit cirographum a dicto domino Wenceslao, super debito centum sexagenarum grossorum praedictorum, seu pecuniis, quas dari mandavit domino antedicto.

Quae omnia dictus procurator affert, se legitime probaturum, et petit admitti tempore et loco opportunis, dicens, petita fieri non debere animo litem contestandi, a quibus procuratoribus partium de calumnia vitanda, et veritate dicenda, et super omnibus capitulis in juramento calumniae contentis ad sancta Dei evangelia corporaliter per eos tacta recepimus solita juramenta; datisque postmodum per dictos procuratores partium hinc inde in causa praesenti nonnullis positionibus et articulis, et easdem, factis responsionibus ad petitionem dictorum procuratorum pro vitandis sumtibus coram certis commissariis per nos deputatis, in partibus coram notario publico ex nostra commissione speciali nonnullis pro parte dicti, Bohuncone, et per ipsum parte actrice testes ducere et probare intentionem suam non curante, productis testibus, ab ipsisque de veritate dicenda ad imaginem crucifixi receptis juramentis, ipsorumque dictis cum descriptione status, aetatis et conditionis in scriptis redactis et reportatis, ac tandem pro parte rea tantum publicatis, nullaque exceptione

subsequuta, et partibus per ipsos in termino ipsis ad producendum omnia per nos statuto, nihil producentium in causa praesenti in certo termino ad hoc statuto, de consensu, et ad petitionem dictorum procuratorum conclusimus, et in ipsa habuimus pro concluso, prout ea omnia et singula in actis acticatis causae hujusmodi coram nobis habitis et conscriptis plenius continentur.

Nos itaque Blasius dictus Lupus, decanus ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi, judex et conservator praedictus hujusmodi causae meritis per nos visis diligenter, et de consilio jurisperitorum discussis, nostram diffinitivam sententiam, in praesentia procuratorum ipsarum partium, videlicet magistri Petri et Machutae praedictorum citatorum, propter infra scripta et ad petitionem eorum tulimus, legimus, et promulgavimus per omnia in hunc modum, Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes et habentes prae oculis solum Deum, per hanc nostram sententiam diffinitivam pronuntiamus, decernimus et declaramus, praefatum reum ab impetitione dicti Martini actoris, suam intentionem non probantis absolvendum fore, et absolvimus sententialiter et diffinitive, in his scriptis condemnantes nihilominus dictum Martinum, in persona magistri Petri, procuratoris sui pro eo praefato reo, et Machutae, procuratori ipsius pro eo in legitimis litis expensis, quarum nobis taxam imposterum reservamus. In quorum omnium et singulorum fidem, testimonium, atque robur,

sentem processum, sive praesens publicum instrumentum hujusmodi, nostram diffinitivam sententiam in se continentem sive continens, per Martinum, notarium publicum infra scriptum, praesentisque causae scribam, subscribi mandavimus et publicavimus, nostrique appensione sigilli jussimus communiri. Lata, lecta, et in scriptis promulgata est haec sententia diffinitiva, et acta sunt haec anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo, Indictione octava, die Martis, vicesima quinta mensis Maji, hora tertiarum, pontificatus sanctissimi in Christo patris et dni. nostri, dni. dni. Bonifacii, divina providentia papae noni anno undecimo; in domo decanatus nostri, sita in castro Pragensi, praesentibus ibidem circumspectis et discretis viris magistris: Vito de Dobrzano, Conrado de Praclis, Jacobino de Krnouia; juris peritis advocatis: Slawcone de Jarohnyewicž, Thoma de Novadomo; procuratoribus consistorii Pragensis: Martino Elyae de Glathovia, Andrea de Tassow, notariis publicis, et aliis pluribus circa praemissa testibus fide dignis.

Et ego Martinus, natus quondam Galli de Tirnavia Ollomucensis dioecesis, publicus imperiali auctoritate notarius, praedictis terminorum observationi, sententiae diffinitivae prolationi et promulgationi, ac omnibus et singulis aliis supra scriptis, dum sic, ut praemittitur, per dictum dominum Blasium Lupus, judicem et conservatorem,

ac coram eo fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, occupatusque circa ardua per alium fideliter scribi feci, me hic manu propria subscribens publicavi, et in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis et consuetis, una cum appensione sigilli memorati domini judicis, et de ipsius mandato consignavi, rogatus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

Sigillum decanatus Omnium SS. pensile valde laesum.

---

# XLVIII.

Nicolaus Puchnik, archiepiscopi Pragensis Wolframi in spiritualibus vicarius generalis, literis die 3. m. Januarii a. 1401. Pragae datis censum unius sexagenae gross. clericis capellae Bethlehem adserit, eundemque juris ecclesiastici declarat.

Nicolaus Puchnik, licentiatus in decretis, Pragensis et Wissehradensis ecclesiarum canonicus, reverendissimi in Christo patris et dni. dni. Wolframi, archiepiscopi Pragensis, apostolicae sedis legati, vicarius in spiritualibus generalis, notum facimus tenore praesentium universis, quod constituti personaliter coram nobis discretus vir, dominus Duchco, presbyter de Praga, et Margaretha, soror ejusdem,

quondam Martini Turnowsky, nunc vero Jyethae, civium Pragensium, conthoralis, ac ipse Jyetha, non compulsi nec coacti, sed sponte ac libere confessi sunt et recognoverunt, debitis tractatibus praemissis, se justo titulo emtionis et venditionis honesto viro Gyndrae de Knyn, nunc vero moram trahenti in Praga, unam sexagenam grossorum census annui et perpetui pro clericis moram trahentibus in domo prope capellam sanctorum Innocentum, alias Bethleem nuncupatam, de et super molendino sito sub balneo quondam Wernheri balneatoris, quarto in ordine, quod fuit olim praescripti Martini Turnowsky, honesti viri, Nicolai, notarii quondam subcamerarii, nunc vero notarii orbore (verisim. *urburae*, Gebirgsertrag) in Montibus Kuthnis, domini temporalis praescripti molendini, salvis juribus ipsius, expresso consensu accedente, vendidisse pro decem sexagenis grossorum ipsis plene ac integraliter persolutis; ita tamen, quod ipsi dnus. Duchco, Margaretha et Jyetha praescripti, et ipsorum successores pro dicta sexagena census singulis septimanis temporibus perpetuo affuturis praescripto Gyndrae, quamdiu vitam duxerit in humanis, aut cui ipse mandaverit, et post mortem ipsius Gyndrae clericis in domo praescripta morantibus debent dare et assignare decem et octo panes; ita videlicet, quod quilibet panis eorundem unam Halensem valeat, et hoc sub poena excommunicationis; cui se haeredes et successores ipsorum benevole submiserunt. Est tamen specialiter expressum, quod si praescriptum mo-

lendinum annihilaretur, aut destrueretur, quod ex tunc praescriptus census unius sexagenae grossorum per saepe nominatum Gyndram et clericos praescriptos, qui pro tempore fuerint, debet exquiri a possessoribus domus, quam nunc praescripti Duchco, presbyter, Margaretha et Jyetha in majori civitate Pragensi tenent et possident, quae domus Turnowskych nuncupatur, quam etiam sexagenam se super dicta domo modo praescripto confessi sunt vendidisse. Quo facto praenominatus Gyndra petebat, dictum censum praenominatae capellae ss. Innocentum, ac clericis praesriptis annectere, unire, et incorporare.

Nos vero Nicolaus Puchnik, vicarius in spiritualibus antedictus, petitioni praescripti Gyndrae, utpote rationabili, favorabiliter annuentes praedictum censum unius sexagenae saepe nominatae sanctorum Innocentum (capellae) ac clericis praedictis annexibus univimus et incorporavimus, decernentes eundem censum juris ecclesiastici et non mundani deinceps et in antea reputari. In cujus rei testimonium vicariatus sigillum praesentibus est appensum.

Datum Pragae anno Domini 1401. die 3. mensis Januarii.

Sigillum vicariatus in spiritualibus Pragensis pensile.

# XLIX.

Tabula publica rogatu mag. Stephani de Colonia, canonici ecclesiae OO. SS. et praedicatoris in Bethlehem, a notariis publicis, Nicolao Andreae de Winczik et Nicolao Mathiae de Bruna die 12. m. Martii a. 1401. Pragae confecta et approbata, qua duo regis Wenceslai rescripta capellae Bethlehem fundationem, praedicatorumque reditus annuos confirmantia (*vide n. XXIX. et XXX. pag.* 314. *sqq.*), et literae a notario publ. Mauritio Purkrabye Petri de Gyekew de pactione a Joanne de Mulheim cum Ulrico, rectore parochiali ecclesiae ss. Philippi et Jacobi facta exaratae, tria proinde documenta ad verbum transscripta simul fidem et auctoritatem publicam obtinuerunt.

In nomine Domini, Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo primo, Indictione nona, die 12. mensis Martii, hora nona vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et dni. nostri, dni. Bonifacii, divina providentia papae IX. anno duodecimo, in majori civitate Pragensi, in aestuario inferiori domus habitationis mei Nicolai quondam Mathiae de Bruna, notarii publici infra scripti, dictae ad s. Georgium, in nostrorum notariorum publicorum infra scriptorum et testium praesentiaque subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum constitutus personaliter honorabilis et scientificus vir, dominus et magister Stephanus de Colonia, sacrae theologiae baccalarius formatus artiumque magister, canonicus ecclesiae

Omnium Sanctorum in castro Pragensi, plebanus sive rector ecclesiae parochialis in Schilter Pragensis dioecesis, praedicatorque verbi Dei capellae seu basilicae in honores ss. martyrum Innocentum in dicta majori civitate prope ecclesiam parochialem ss. Philippi et Jacobi, apostolorum, sitae et erectae institutus, ubi idem dominus et magister Stephanus pro suo et dictae capellae interesse quasdam duas litteras in pergameno scriptas a serenissimo principe et dno. dno. Wenceslao, Dei gratia Romanorum et Boemiae rege semper augusto, emanatas, sigillo magno rotundo de cera alba communi pendente in pressulis pergameni sigillatis, in quo quidem sigillo hujusmodi litteris appenso quaedam imago quasi unius regis in quadam sede sub corona in veste regia sedens, in manu dextera quasi sceptrum, et sinistra quasi pomum cum cruce tenens, et ex utraque parte ejusdem imaginis figura quasi unius clypei, in clypeo a parte dextra figura quasi unius aquila(e) alis extensis quasi ad volandum dispositae, in clypeo vero a parte sinistra figura quasi unius leonis cum dupplici cauda videbantur; litterae vero circumferentiales ejusdem sigilli, ut prima facie apparebant, per omnia tales erant: Wenzsl. Dei gratia Romanorum rex semper augustus et Boemiae rex; item a tergo eidem sigillo magno erat unum parvum sigillum rotundum de cera rubeo (*sic*) impressum, in quo sigillo figura quasi unius aquilae alis extensis cum dupplici capite quasi ad volandum disposita, in cujus pectore

figura quasi unius leonis coronati cum dupplici cauda videbantur, sanas et integras, non vitiatas, non cancellatas, non abrasas, nec in aliqua ipsarum parte suspectas; nec non quoddam publicum instrumentum manu Mauritii dicti Purgabie quondam Petri de Gykew Pragensis dioecesis, publici auctoritate imperiali notarii, similiter in pergameno scriptum, et signo ipsius ac nomine consuetis consignatum, sanum et integrum, quorum omnium tenor de verbo ad verbum inferius describitur, exhibuit et ostendit, ac ipsas litteras cum hujusmodi instrumento publico ibidem alta voce perlegit; quas quidem litteras cum instrumento publico hujusmodi dictus dominus et mag. Stephanus, ut praemittitur, pro suo ac dictae capellae interesse transsumi, copiari, transscribi, exemplari, et in publicam formam redigi, diligenti auscultatione praemissa, petiit per nos notarios publicos infra scriptos, ne copia hujusmodi litterarum et instrumentorum originalium perdatur, annulletur, varietur, aut quovis modo immutaretur, volens quod hujusmodi publico transsumpto in omnibus et per omnia plena fides adhibeatur, sicut literis originalibus antedictis, ipsumque publicum transsumptum fidem faciat tam in judicio, quam extra in agendis.

Tenor vero primae litterae regiae, de quibus superius fit mentio, per omnia de verbo ad verbum sequitur, et est talis: Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis, divinae retri-

butionis meritum, et temporalis prosperitatis augmentum infallibiliter consequi se credit nostra serenitas, dum ad hoc etc. (*sequitur ad verbum diploma n. XXIX. pag.* 314. *sqq. exstans.*)

Item tenor secundae litterae regiae, de qua etiam superius fit mentio, per omnia de verbo ad verbum sequitur, et est talis: Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Boemiae rex. Notum facimus tenore praesentium universis. Inter ceteras salubres utilissimasve doctrinas et rutilantium artium varietates innumeras etc., (*sequitur ad verbum diploma n. XXX. pag.* 316. *sqq. exstans.*)

Item tenor publici instrumenti, de quo etiam superius fit mentio, per omnia de verbo ad verbum sequitur, et est talis: In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo nonagesimo primo, Indictione quarta decima, die lunae, decima mensis Aprilis, hora quasi nona, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domini nostri, dni. Bonifacii, divina providentia papae IX. anno secundo, in majori civitate Pragensi, in domo decanatus ecclesiae collegiatae s. Aegidii Pragensis, in camera dictae domus, in mei notarii publici infra scripti testiumque praesentia subscriptorum constituti personaliter nobiles et honorabiles viri domini: Joannes alias Hanussius miles, dictus Mulheim de Mulheim, alias de Pardubitz ex una, et Ulricus, canonicus Boleslaviensis, et rector parochialis ss. Philippi et Jacobi, apostolorum, in

Praga ecclesiarum parte ex altera, ubi super eo, quod dictus dnus. Hanussius miles quandam capellam, dictam vulgariter Bethlehem, in quadam area sita infra fines et limites dictae ecclesiae ss. Philippi et Jacobi, apostolorum, sub vocabulo sanctorum Innocentum martyrum, pro praedicatione verbi Dei, et pro aliis divinis officiis et cultibus, cum campana, et ad ipsius sonum ibidem, praeter porrectionem sacramentorum, solemniter peragendis fundare, erigere et dotare, intendebat, cum dicto domino Ulrico plebano tractatus faciendo; demum et postremo dictus dnus. Ulricus post plurimos tractatus ibidem habitos, suo et ecclesiae suae ac successorum suorum nomine cum eodem domino Joanne, alias Hanussio Mulheim, pro praejudicio quovis, quod ex erectione et fundatione dictae capellae Bethlehem sibi et eidem ecclesiae ac suis successoribus venire deberet, composuit et conclusit, quod quam primum eandem capellam idem dominus Hanussius erexerit, et in eadem praedicator institutus fuerit, quod ex tunc ab eodem tempore sibi et ecclesiae suae, ac suis successoribus, pro et nomine dicti praejudicii nonaginta gross. Pragensis monetae census annui et perpetui in omnem eventum de dicta capella per ipsum praedicatorem, qui fuerit institutus, in duobus terminis consuetis, videlicet in festo s. Georgii martyris, quadraginta quinque grossi, et in festo s. Galli confessoris, iterumquadraginta quinque grossi perpetuo et annis singulis solvantur. Qua ordi-

natione sic facta idem dns. Ulricus suo et ecclesiae suae, ac successorum suorum nomine eam acceptans consensit, quod hujusmodi capella cum campana ad praedicationem verbi Dei, et ad alios cultus divinos ibidem solenniter peragendos praeter ministrationem sacramentorum erigatur, promittens suo et ecclesiae ac successorum suorum nomine, stare de hujusmodi satisfactione contentus pro dicto praejudicio, et hujusmodi concordiam suo, ecclesiae, et successorum suorum nomine firmam, ratam, et inviolabilem tenere, habere, et sub poena quinquaginta sexagenarum grossorum Pragensium eidem domino Hanussio aut suis successoribus irremisibiliter solvendarum, et ad manus mei notarii publici infra scripti solemniter stipulando perpetuo irrevocabiliter observare; de quibus omnibus et singulis idem dns. Hanussius miles petiit sibi fieri per me notarium publicum infra scriptum unum vel plura, publicum seu publica instrumenta. Acta sunt haec anno, indictione, die, hora, pontificatu et loco, quibus supra, praesentibus ibidem honorabili, religioso et discreto viro, dno. mag. Joanne dicto Sczekna, rectore ecclesiae parochialis in Czubba (?) professo ordinis Cisterciensis, et Nicolao dicto Sczekna de Zebnicz, mag. artium, Pragens. et Olomucens. dioec. testibus circa praemissa. Et ego Mauritius dictus Purkrabye, quondam Petri de Gykew, Pragensis dioecesis publicus auctoritate imperiali notarius, compositioni, conclusioni, ordinationi, consensui, et acceptationi praemissorum, ac

omnibus aliis et singulis supra scriptis, dum sic, prout praemittitur, fierent et agerentur, unacum invocatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, atque manu propria conscripsi, publicavi, et in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis consignavi, rogatus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra, praesentibus honestis et circumspectis viris: Joanne dicto Rulant, alias Lyssy, Joanne dicto Meysner, civibus litteratis dictae majoris civitatis Pragensis, Joanne quondam Nicolai de Gyczin, notario publico, Hieronymo Wenceslai de Praga, Joanne Friczkonis de Cornaw, clerico, et Georgio quondam Nicolai de Budyna, armigero Pragensis dioecesis praedictae, et aliis pluribus testibus fide dignis circa praemissa.

Et ego Nicolaus quondam Andreae de Winczik, clericus Wratislaviensis dioecesis, publicus imperiali auctoritate notarius, praedictarum litterarum regalium ac publici instrumenti exhibitioni, ostensioni, petitioni, ac omnibus aliis et singulis supra scriptis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum Nicolao quondam Mathiae de Brunna, et Jacobo quondam Przibislai de Thyn, notariis publicis infra scriptis, meis in hac parte collegis, ac testibus praenominatis praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, manuque propria nil addendo, minuendo, immutando,

aut variando conscripsi, et facta prius de praesenti publico transsumpto ad ipsas litteras originales ac instrumentum cum praenotatis Nicolao et Jacobo notariis, meis collegis, diligenti auscultatione, quia ea simul concordare inveni, ideo in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

Et ego Nicolaus, quondam Mathiae de Brunna, Olomucensis dioecesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, praedictarum litterarum regalium ac publici instrumenti exhibitioni, ostensioni, lectioni, petitioni et omnibus aliis et singulis supra scriptis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum Nicolao de Winczik et Jacobo de Tyn, notariis publicis supra et infra scriptis, meis in hac parte collegis, ac testibus praenominatis praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, sed me aliis arduis negotiis praepetito per dictum Nicolaum notarium scribi procuravi, et facta de praesenti publico transsumto ad ipsas litteras originales ac instrumentum diligenti auscultatione, quia ea simul concordari inveni, in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

# L.

**Ogerius, archiepiscopi Pragensis Wolframi in spiritualibus vicarius generalis, Joanni de Hussinecz a Joanne de Mülheim praesentato curam et administrationem capellae Bethlehem literis die 14. m. Martii a. 1402. Pragae datis confert.**

Ogerius, rector altaris sanctae Dorotheae in ecclesia Pragensi, et corrector cleri dioecesis Pragensis, vicarius in spiritualibus reverendissimi in Christo patris et domini domini Wolframi, sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopi, apostolicae sedis legati, generalis. Notum facimus tenore praesentium universis, quod nos ad praesentationem et petitionem nobilis viri, domini Joannis de Mulheim in et ad capellam ss. Innocentum, dictam vulgariter Bethlehem, sitam in majori civitate Pragensi, per liberam resignationem honorabilis viri mag. Stephani de Colonia, ultimi et immediati ipsius capellae rectoris, in manibus nostris factam, per nos receptam et admissam, vacantem, honorabilem virum magistrum Joannem de Hussinecz, presbyterum Pragensis dioecesis, crida seu proclamatione praemissa, rectorem legitimum instituimus et plebanum, ipsumque de praedicta capella cum omnibus juribus et pertinentiis suis investivimus et praesentibus investimus, curam et administrationem dictae capellae eidem committimus, ipsum ad eandem in Dei nomine confirmantes. In cujus rei testimonium

praesentes litteras fieri, et sigilli vicariatus archiepiscopalis Pragensis, quo ad praesens utimur, appensione jussimus communiri.

Datum Pragae anno Domini millesimo quadringentesimo secundo, die XIV. m. Martii.

Sigillum vicariatus in spiritualibus pensile.

---

## LI.

Facultas artium quatuor sexagenas ab universitatis rectore acceptas testatur Pragae die 26. m. Aprilis a. 1402.
(*Chirographum potissimum sigilli gratia adservatum.*)

Nos magister Henningus Boltenhaghen, magister in artibus, decanus facultatis artium in studio Pragensi, tenore praesentium recognoscimus universis, nos dictae facultatis nomine ab honorabili viro, magistro Nicolao Stoer de Swidnicz, rectore universitatis studii Pragensis praedicti, sex sexagenas grossorum Pragensium cum quatuor grossis recepisse in pecunia parata et numerata, quas pecunias praedictus magister Nicolaus, rector, nomine universitatis nobis solvit ex parte duarum tertiarum totius pecuniae universitatis, quibus pecuniis receptis praedictum dominum rectorem ac universitatem nostro et praedictae facultatis artium nomine praesentibus absolvimus et quittamus. In cujus testimonium sigillum facultatis praesentibus est appensum.

Datum Pragae anno Domini millesimo quadringentesimo secundo, die 26. mensis Aprilis, praesentibus honorabilibus viris: Erasmo Elye de Nyssa, Walthero Harrasser, magistris in artibus, ac novis et antiquis consiliariis nationum universitatis supradictae.

Sigillum facultatis artium vide in tabulis lithographicis exhibitum.

---

# LII.

Literae, quibus notarius publicus Nicolaus Hodislai de Swidna sententiam mag. Joannis Eliae, s. theologiae professoris, controversiam inter mag. Nicolaum Czeislmeister, rectorem paroch. eccl. ss. Philippi et Jacobi, et mag. Joannem de Hussinecz, universitatis rectorem, et praedicatorem capellae dictae Bethlehem exortam dirimentis die 1. m. Aprilis a. 1403. auctoritate publica munit.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo tertio, Indictione undecima, die prima mensis Aprilis, hora vesperorum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri dni. Bonifacii, divina providentia papae IX. anno XIV., in majori civitate Pragensi, in commodo honorabilis viri mag. Joannis Eliae, sacrae theologiae professoris, archidiaconi Pilznensis in ecclesia Pragensi, sito in collegio

Caroli, in mei notarii publici infra scripti, et testium praesentia subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, constituti personaliter honorabiles viri: Marcus de Grecz-Reginae, mag. in artibus, procurator et nomine procuratorio magistri Nicolai Czeislmeister, rectoris ecclesiae parochialis ss. Philippi et Jacobi, apostolorum, dictae civitatis Pragensis, et ipsius ecclesiae nomine, de cujus procurationis mandato mihi notario publico infra scripto bene constat, ex una, et Joannes de Hussinecz, similiter magister in artibus, universitatis studii Pragensis rector, et praedicator capellae dictae Bethleem, sitae prope ecclesiam ss. Philippi et Jacobi, suo et dictae capellae nomine parte ex altera; ubi iidem magistri non compulsi, nec coacti, sed sponte et libere, ac voluntarie, et ex certa ipsorum scientia, propter bonum pacis et concordiae, ac volentes hinc inde parcere laboribus et expensis de et super omnibus et singulis causis, litibus et controversiis inter eos quomodolibet exortis, et praesertim ratione capellae Bethleem praedictae, quae circa dictam ecclesiam ss. Philippi et Jacobi infra fines et limites ejusdem ecclesiae est constructa et aedificata, ac praejudicio dictae ecclesiae ex ejusdem capellae constructione factae, ac aliis impedimentis et causis quibuscunque meliori modo, via, jure et forma, quibus melius et efficacius de jure fieri potest et debet. In honorabilem et scientificum virum mag. Joannem Eliae supra dictum ibidem tunc praesentem et onus hujus-

modi in se sponte et libere suscipientem tanquam in arbitrum, arbitratorem, et amicabilem compositorem, de alto et basso, et sub poena quinquaginta sexagen. gross. monetae Pragensis parti tenenti arbitrium hujusmodi per partem non tenentem solvendarum compromiserunt; dantes et concedentes dictae partes hinc inde praefato arbitro, arbitratori, et amicabili compositori plenam, liberam, et omnimodam potestatem, ac mandatum speciale de et super omnibus et singulis causis, litibus, et controversiis supra scriptis, et aliis circa ea generaliter vel specialiter expressis ac emergentibus, incidentibus, connexis, et dependentibus ab eisdem, ipsis cognitis vel non cognitis, per modum judicii cum receptione et examine testium, sive summarie et de plano, semel vel pluries pronuntiandi, terminandi, laudandi, summandi, diffiniendi, arbitrandi et dicendi, verbo vel in scriptis, partibus vocatis vel non vocatis, praesentibus vel absentibus, aut una parte praesente et alia absente, servata vel non servata hujusmodi compromissi forma, et ei addendo vel minuendo, stando vel sedendo, diebus feriatis vel non feriatis, juris ordine servato vel non servato, ubi, quando, prout, et quotiens ipsi arbitro visum fuerit expedire; promittentes dictae partes hinc inde mihi notario publico infra scripto, ut personae publicae legitime stipulanti vice et nomine omnium, quorum interest, vel interesse poterit, quomodolibet in futurum stare, obedire, et non contravenire de jure vel de facto,

aliqua ratione vel causa omni ipsius arbitri, arbitratoris, et amicabilis compositoris laudo, arbitrio, dicto, diffinitioni, et pronuntiationi, quod vel quam inter ipsas partes fecerit super praemissis, aut aliquo praemissorum vel aliis quibuscunque causis ad praemissa quomodocunque spectantibus, seu praedictorum occasione emergentibus, incidentibus, dependentibus, et connexis, et ea, quae super praemissis dixerit, pronuntiaverit, laudaverit, diffiniverit, terminaverit seu mandaverit, firma, rata, et grata tenere, et inviolabiliter perpetuis temporibus observare; cedentes et renuntiantes dictae partes expresse hinc inde omni liti, causae, et quaestioni inter eas occasione praemissorum coram quibuscunque judicibus vertentibus, instrumentis publicis, literis, et rescriptis impetratis, arbitrio boni viri, et recursum habendo ad arbitrium boni viri, omnibusque aliis et singulis ad praemissa spectantibus quovismodo, et quod contra ipsius arbitri pronuntiationem, praeceptum, laudum, arbitrium et diffinitionem non appellabunt, nec appellationem prosequentur, nec restitutionem in integrum petent, nec ad arbitrium boni viri recurrent, nullam exceptionem juris vel facti opponent; renuntiantes etiam dictae partes et quaelibet earum in praemissis per pactum expressum exceptioni doli, malum factum actioni, non sic celebrati compromissi, aliter fuisse scriptum quam dictum, et e contra omni privilegio juris canonici et civilis auxilio, omnibusque exceptionibus, allegationibus, rationi-

bus, et ceteris auxiliis juris, facti, et loci, ac patriae, quibus possent dictae partes contra praemissa, vel aliquod praemissorum in praesenti instrumento contenta facere vel venire, et contra praesens instrumentum objici vel opponi, et specialiter juri dicenti, generalem renuntiationem non valere, nisi praecesserit specialis, ac omnibus aliis objectionibus, quae infirmare aut vitiare possent hoc compromissum seu arbitrium in toto vel in parte, sive ex persona arbitri, sive ex personis compromittentium, aut ex rebus vel causis, de et super quibus est compromissum, aut ex quacunque alia causa seu ratione; sed omnia et singula in hujusmodi compromisso contenta dictae partes hinc inde sub poena praedicta firmiter et inviolabiliter perpetuo tenere promiserunt et observare.

Quo quidem compromisso sic facto praefatus mag. Joannes Eliae, arbiter, arbitrator, et amicabilis compositor supra dictus habita informatione a dictis partibus, et matura deliberatione facta super praemissis mox ibidem in praesentia partium supra scriptarum, quandam pronuntiationem manu sua scriptam fecit ac pronunciavit, et arbitratus est per omnia sub his verbis: Inprimis pronuntiamus, quod annis singulis in futurum et in perpetuum rector capellae, qui pro tempore fuerit, det plebano ecclesiae ss. Philippi et Jacobi tres sexagen. gross. divisim, videlicet mediam alteram circa Georgii, et alteram mediam circa Galli, in proximo sancti Georgii incipiendo. Item quae partium voluerit,

acquirat sibi confirmationem ab ordinario, vel a papa. Item de legatis et testamentis, quae legabuntur pro capella praedicta per parochianos praedictae ecclesiae ss. Philippi et Jacobi ad quemcunque usum, sive rectori capellae, sive pro ornamentis aut scolaribus, quod rector parochialis ecclesiae praedictae medietatem illorum habeat. Si vero aliquis ex parochialibus in vita aliquid donaverit, de illis plebanus nihil debet habere. Item de offertorio et oblationibus ad sacculum plebano nullum jus competit in illis. Item de donatis vel legatis ab extraneis, qui non sunt de illa parochia, plebanus penitus nihil habebit. Item officia sic debent ordinari et deinceps celebrari, quod una missa poterit decantari ante sermonem, qui fit de mane omni die; sed post sermonem non debent cantari, sed legi submisse. In solemnitatibus vero capellae, ut puta: diebus patronorum capellae, ut Innocentum, Mathiae et Matthaei, apostolorum, quatuor doctorum ecclesiae, et in dedicatione ejusdem capellae, et praesente funere, et in die translationis sancti Wenceslai, et missas defunctorum in praesentia funeris, aut in exequiis, missae etiam post sermonem poterint decantari. Item, quod liberum sit cuilibet, eligere sibi sepulturam in dicta capella, sive sint parochiani, sive extranei. Item rector capellae, qui pro tempore fuerit, poterit redimere census illos trium sexagen. gross. assignando alibi aeque bonos in distantia trium milliarium a Praga. Item retenta solvantur in terminis

infra scriptis; primo, duae sexagen. gross. solvantur circa festum s. Spiritus, duae circa assumtionem beatae Virginis, infra octavas, et residuum circa Galli una cum censu.

Qua quidem pronuntiatione sic facta dns. arbiter dictas partes interrogavit, an pronuntiationi suae stare vellent et eidem obedire? Qui quidem mgri. Marcus procurator et nomine procuratorio, quo supra, ac ecclesiae praefatae, et Joannes de Hussinecz, rector capellae praenominatae suo et ejus capellae ac successorum suorum, rectorum et praedicatorum ipsius capellae nominibus dictam pronuntiationem approbaverunt, et ratam et gratam habuerunt, petentes ipsis hinc inde super omnibus et singulis supra scriptis fieri et confici unum vel plura, si opus fuerit, publicum seu publica instrumenta. Acta sunt haec anno, Indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra; praesentibus honorabilibus et discretis viris: dno. Jacobo de Zihobecz, decretorum doctore, Stanislao de Znoyma, sacrae theologiae baccalario formato, et mgris. in artibus, Gregorio de Praga, et Martino Cunssonis de Praga, baccalar. in artibus univ. studii Pragens.*, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Nicolaus Bodislai de Swidna, Pragens. dioec. publicus auctoritate imperiali notarius praedictis compromissioni, arbitri electioni, poenae adjectioni, promissioni, pronuntiationi, ratificationi, approbationi, petitioni, omnibusque aliis et singu-

lis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, manu propria conscribens in hanc formam publicam redegi, signoque et nomine meis solitis consignavi, requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

---

# LIII.

Literae, quibus auctore mag. Joanne Huss de Hussinecz proprio et nationis Bohemicae nomine, Michael Nicolai de Prachaticz, notarius publ. donationi capellae Corporis Christi, jure patronatus excepto, universitatis sodalibus de natione Bohemorum a foederis fraterni Corporis Christi antistitibus hujus nomine factae die 28. m. Junii a. 1403. vim tribuit juris.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo tertio, Indictione undecima, die Jovis, vicesima octava mensis Junii, hora vesperorum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Bonifacii, divina providentia papae VIIII. anno quartodecimo, in domo nationis Boemorum, sita in parochia ecclesiae parochialis s. Galli confessoris majoris civitatis Pragensis, in mei Michaelis, notarii publici infra scripti, testiumque praesentia subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum constituti personaliter famosi viri: Zacharias de Swynarz, Scziech de Lopucz, et Petrus dictus Quass de

Wssenor, armigeri Pragensis dioeceseos, capitanei fratres, seu fratreae societatis, et fundatores capellae corporis Christi, sitae in nova civitate Pragensi, per alios socios fratreae societatis dictae capellae pro anno praesenti praedicto ad regendum et gubernandum dictam capellam, de ipsaque disponendum, et ordinandum cum ipsa, ac ministros praesentandum ad eandem, ut dicebant, electi et deputati, sani mente et corpore per omnia, et compotes rationis existentes, non compulsi nec coacti, nec aliquo seducti errore aut fraude circumventi, sed matura deliberatione praehabita, sponte, libere et voluntarie, pure et simpliciter, donatione irrevocabili inter vivos, nulla spe lucri aut commodi temporalis ipsis in subscripta donatione reservatis, meliori modo, via, jure et forma, quibus melioribus de jure fieri potuit et debuit, suo et dictae fratreae societatis nominibus dederunt et donarunt pura et gratuita donatione dictam capellam Corporis Christi, in omnibus juribus, censibus, reditibus et proventibus ac pertinentiis ipsius universis, et pecuniis promtis ipsi capellae debitis et datis, jure patronatus seu praesentandi ad eandem sibi et aliis sociis fratream societatem ipsius capellae gerentibus et facientibus, specialiter reservato et excepto, honorabilibus et scientificis viris, dominis magistris, doctoribus, baccalariis et studentibus universitatis studii Pragensis de natione Boëmorum duntaxat existentibus, praesentibus et futuris, ad tenendum, regendum

et gubernandum, magistros, presbyteros, et officiales eidem necessarios instituendum in eadem, et destituendum, ipsaque uti fruendum, census, reditus, fructus ad eandem pertinentes, qui nunc sunt, vel auctore domino augebuntur, in futurum tollendum, percipiendum et levandum, et in usus suos committendum, ipsisque magistris, doctoribus, baccalariis et studentibus dictae nationis Boëmorum praesentibus et futuris eandem capellam corporis Christi cum censibus, reditibus et fructibus, ac emolumentis suis, suo et dictae fratreae societatis ipsorum nominibus ibidem simpliciter et expresse resignarunt, ipsisque condescenderunt, de eadem cedentes et renuntiantes dicti Zacharias Sczech et Petrus Qwass suo et societatis fratreae ipsorum praedictorum nominibus, praefatis magistris, doctoribus, baccalariis et studentibus nationis Boëmorum, atque in ipsos transferentes et transfundentes totum suum jus, jure patronatus, ut praefertur, excepto, quod ipsis et dictae fratreae societati, quod ad eandem capellam competebat, seu habebant et habere poterant quoquo modo, constituentes etiam et ponentes eosdem magistros, doctores, baccalarios et studentes in locum suum, quod deinceps et in antea suo proprio nomine, vel cum adjutorio ipsorum donantium, si id habere voluerint, et ipsis placuerit, possunt contra et adversus quoscunque praescriptae donationis et cessionis contradictores, et ipsos in jure possesionis dictae capellae jurium et pertinentiarum ipsius impedientes, actionibus

utilibus seu directis, coram quibuscumque judicibus spiritualibus vel secularibus, delegatis, subdelegatis, ordinariis, extraordinariis, datis vel dandis, agere et experiri, consequi et se tueri, ac omnia et singula jure cessionis et donationis hujusmodi facere, quemadmodum et quae ipsi donantes et fratrea societas, cedentes et translatores facere possent, promittentes solemni stipulatione ad manus mei, notarii publici infra scripti, praedictam cessionem et donationem, ac omnia alia et singula supra scripta non immutare nec revocare, sed ea omnia rata, grata et firma habere et tenere, nec contravenire aut contrafacere in vita vel in morte per se vel alium seu alios aliqua ratione, ingenio sive modo, sed omnia praedicta cessa et donata ipsis tueri, et defensare, ac inviolabiliter perpetuo observare; super quibus omnibus et singulis honorabilis vir, magister Johannes Huss de Hussinecz suo et dictae nationis Boëmorum nominibus petunt sibi per me notarium publicum infra scriptum fieri et confici unum vel plura publicum seu publica instrumentum seu instrumenta. Acta sunt haec anno, Indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra, praesentibus discretis viris: Mathia, presbytero capelano capellae dictae Betleem, sitae in majori civitate Pragensi praedicta, Laurentio de Wollenow, alias de Lochkow, Andrea de Suchomast, armigeris Pragensis dioecesis, Stephano dicto ad flaveam rotam, cive dictae civitatis Pragensis, Egidio Mathiae de Praga, baccalario artium stu-

dii Pragensis, et multis aliis testibus fide dignis circa praemissa.

Et ego Michael natus, quondam Nicolai de Prachatitz, Pragensis dioecesis publicus imperiali auctoritate notarius, praedictis donationi, cessioni juris, translationi, promissioni, petitioni, omnibusque et singulis aliis supra scriptis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, unacum praenominatis testibus praesens interfui, et sic fieri vidi et audivi, manu propria conscripsi, publicavi, et in hanc formam publicam redegi, signo et nomine meis consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

# LIV.

Literae, quibus notarius publ. Joannes Joannis de Chrzyenow die 28. m. Octobris a. 1403. fidem facit, mag. Joannem de Pustmyer, et Carolum, rectores capellae corporis Christi, quartam oblationum partem literis Bonifacii IX. apostolicis rectori parochiali reservatam (*vide n. XXXVIII. pag. 342. sq.*) plebano s. Wenceslai Jehlino pie obtulisse, eundem vero illam acceptare recusavisse.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo tertio, Indictione undecima, die vicesima octava mensis Octobris, hora vesperorum vel quasi, pontificatus sanctissimi in

Christo patris et domini nostri, domini Bonifacii, divina providentia papae noni, anno decimo quarto, in nova civitate Pragensi, in monasterio Zderaziensi, in commodo habitationis honorabilis viri, domini Jehlini, rectoris ecclesiae parochialis sancti Wenceslai sitae prope dictum monasterium Zderaziense, in mei, notarii publici infra scripti, et testium praesentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, constituti personaliter honorabiles viri, Johannes de Pustmyer, artium liberalium mag. almae universitatis studii Pragensis, et Carolus, plebanus ecclesiae in Markovitz, capellani seu rectores capellae Corporis Christi, sitae in circulo dictae novae civitatis Pragensis, et in plebe seu parochia ecclesiae parochialis sancti Wenceslai praedictae, quintam seu quartam partem offertorii annuatim in dicta capella per Christi fideles oblati juxta tenorem et continentiam literarum apostolicarum exemptionis dictae capellae a jurisdictione ecclesiae s. Wenceslai praenotatae praefato domino Jehlino, plebano ibidem praesenti, nomine suo et dictae capellae, tanquam filii obediente cum effectu exhibuerunt et obtulerunt; qui dominus Jehelinus plebanus, qua de causa nescitur, eandem quartam sibi per ipsos dnos. magistrum et Carolum oblatam recipere et acceptare noluit et recusavit, super quibus omnibus dicti domini, magister Joannes et Carolus suo et dictae capellae nomine protestati solemniter et expresse, quomodo parati sunt et fuerant omni tempore hujusmodi quar-

tam juxta literas apostolicas dare et persolvere, et petierunt, ipsis super hoc fieri et confici unum vel plura publica instrumenta per me notarium publicum infra scriptum. Acta sunt haec anno, Indictione, die, mense, hora, pontificatu, et loco, quibus supra, praesentibus discretis et honestis viris, Francisco dicto Czech de Praga, Martino Cunssonis de Praga, baccalariis in artibus, et Andrea Mathiae de Slana, et aliis pluribus testibus circa praemissa fide dignis.

Et ego Johannes, quondam Johannis de Chrzyenow alias de Tyn Horssowiens. Pragens. dioecesis, publicus imperiali auctoritate notarius, praedictis oblationi, ac omnibus aliis et singulis supra scriptis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, unacum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, manu propria conscripsi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi, vocatus, rogatus, et requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

# LV.

Innocentius VII. pont. Rom. (elect. die 17. m. Octobris a. 1404., def. die 6. m. Nov. a. 1406.) literis Romae die 13. m. Januarii a. 1405. datis universitatis Pragenae rectori potestatem defert, archiepiscopi Prag. sede vacante, seu divisionibus, controversiis, litibus vel intrusionibus circa sedem eandem exortis, ipsius in rebus universitatis tuendi vices.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. In apostolicae dignitatis specula, licet immeriti, disponente Domino constituti, personis literarum studiis intendentibus, per quae divini nominis ac fidei catholicae cultus protenditur, justitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, et opportunae commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum, universorum doctorum et magistrorum, ac universitatis studii Pragensis nobis nuper exhibita continebat, quod licet illi, qui processu temporis in ea facultate, in qua studuerunt, sufficientes reperti fuerint, quique docendi licentiam, sive ut alios erudire valeant, et magisterii honorem, seu titulum sibi petierint impertiri per magistros illius facultatis, in qua examinandi sunt, archiepiscopo Pragensi pro tempore existenti consueverint praesentari, ipseque archiepiscopus magistris in facultate et universitate hujusmodi actu regentibus ad

hoc convocatis, doctorandos, et magistrandos hujusmodi in his, quae ad hoc requiruntur, per se, vel alium juxta modum et consuetudinem, qui in aliis generalibus studiis in similibus observantur, diligenter examinare, ac eis, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, ut praefertur, hujusmodi licentiam tribuere, et honorem seu titulum conferre magistralem auctoritate apostolica consueverit. Quia tamen archiepiscopalem sedem Pragensem saepe vacare, et propterea nonnunquam divisiones, controversias, intrusiones, seu alia impedimenta gravia temporum et hominum causante malitia prorsus absque culpa membrorum dictae universitatis, imo in eorum et ipsius universitatis non modicum praejudicium et gravamen, in eadem sede suboriri contingit, et hujusmodi intrusionibus, controversiis et impedimentis durantibus licentia hujusmodi tribui, et alia, quae circa praemissa officio ipsius archiepiscopi pro tempore incumbunt, debite nequeunt expediri; pro parte doctorum, magistrorum et universitatis praedictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut, ne propterea universitas hujusmodi, et tam laudabile studium, quod ibidem vigere dinoscitur, suis dispersis studentibus atque membris, quod absit, passim deficiant, in se ipsis super his providere de opportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati volumus, et praesenti constitutione irrefragabili apostolica auctoritate statuimus, ac etiam ordinamus,

ut quandocumque et quotienscumque praedictam archiepiscopalem sedem vacare, aut divisiones, controversias, sive lites in eadem sede, seu intrusiones ad eandem, ut praefertur, quomodolibet fieri seu oriri, aut alia legitima impedimenta supervenire contigerit, ut praefertur, rector praedictae universitatis, tunc existens, vices praedicti archiepiscopi in praemissis omnibus et per omnia, supplere, gerere et exercere possit et debeat, cum potestate conferendi licentiam et honorem, seu titulum magistralem his, qui processu temporis scientiae margaritam in illa facultate, in qua studuerunt, assequuti, et bene meriti, ac sufficientes et idonei reperti fuerint, ut praefertur, eisque concedendi doctoratus insignia, nec non licentiam docendi, sive ut alios valeant erudire; quodque idem rector juxta morem et consuetudinem laudabiles, qui in aliis studiis generalibus in similibus observantur, omnia alia, nihil de contingentibus omittendo circa praemissa, quomodolibet opportuna eadem auctoritate disponere et ordinare libere et licite possit, quae dictus archiepiscopus, si vacatio, divisiones, controversiae, lites, intrusiones et impedimenta hujusmodi non occurrerent, per se vel alium auctoritate praedicta, seu de jure vel consuetudine facere posset aut deberet.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae constitutionis et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem om-

nipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum Idibus Januarii, pontificatus nostri anno primo.

M. de Novaria. Pro S. de Novaria
Jo. de Tremosnicz. Jo. Stalberg.

---

# LVI.

Wenceslaus IV. Rom. ac Boh. rex, literis die 8. m. Octobris a. 1406. Mendici datis magistris et studentibus nationis bohemicae coëmtionem annui et perpetui census centum et decem sexagenarum, quo beneficia in capella Corporis Christi constituantur, ratam facit, patronatus jure circa praesentandos magistros sibi successoribusque suis reservato.

Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et Boëmiae rex. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi cunctorum nostrorum subditorum fidelium commodo et saluti ex innata nobis benignitatis gratia dignamur intendere, ad illorum nihilominus, qui in peculiaris regni nostri limitibus sunt comprehensi, quibusve mediantibus divinus cultus augmentum recipit, in quorum etiam incremento votivo plurimum jocundamur, profectus augendos uberior, solidaque cura nos sollicitat, et haereditaria successio, qua ipsis disponente Domino praesidemus, quodam debito nos invitat. Sane nostram

accedentes praesentiam honorabiles magistri et studentes nationis Boëmicae almae universitatis studii Pragensis, devoti nostri dilecti, nobis humiliter supplicarunt, quatenus ad hoc, ut pro certis beneficiis ecclesiasticis pro ipsis in capella Corporis Christi in nova civitate Pragensi sita erigendis, et de novo instaurandis centum et decem sexagenae annui et perpetui census grossorum Pragensium in regno nostro Boëmiae emi et comparari possint et valeant, consensum et assensum nostrum regium adhibere, ipsumque centum et decem sexagenarum censum annuum et perpetuum, postquam pro ipsis magistris et studentibus nationis praefatae in regno nostro Boëmiae, in bonis tamen liberis et non feudalibus, comparatus fuerit, ipsis et dictae capellae Corporis Christi incorporare, applicare, inviscerare, annectere, appropriare et unire gratiosius dignaremur. Nos vero ad omnipotentis Dei, ac etiam intemeratae genitricis ejus, virginis Mariae gloriam et honorem, nec non in augmentum divini cultus, ac etiam ob singularis amoris affectum, quo praefatos magistros et studentes nationis Boëmicae prosequimur, et nostris temporibus in suis prae ceteris affectamus tam spiritualibus, quam temporalibus votiva suscipere incrementa, non per errorem aut improvide, sed animo deliberato, sanoque nobilium et baronum nostrorum accedente consilio, ad emtionem et corporationem praedictarum centum et decem sexagenarum grossorum Pragensium annui et perpetui census pro beneficiis ecclesia-

sticis pro praefatis magistris et studentibus nationis Boëmicae in capella Corporis Christi, ut praefertur, erigendi, et eorum beneficiorum usibus in regno nostro Boëmiae, in bonis tamen liberis et non feudalibus, consensum et assensum nostrum regium adhibuimus, et eundem centum et decem sexagenarum annuum et perpetuum censum grossorum Pragensium, postquam in effectum pervenerit, praefatis magistris et studentibus nationis Boemicae, ac etiam praedictae capellae incorporavimus, applicavimus, invisceravimus, annexuimus, approbavimus et univimus, incorporamus, approbamus, inviisceramus, annectimus, et virtute praesentium regia auctoritate Boëmiae de certa nostra scientia ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc appropriamus gratiosius, et unimus, per ipsos magistros et studentes nationis Boëmicae in praefata capella beneficiatis seu beneficiandis habendum, tenendum, et perpetuis temporibus libertate ecclesiastica pacifice possidendum, impedimentis non obstantibus quibuscunque; eo tamen signanter proviso, quod jus patronatus seu praesentandi magistros et studentes saepe dictae nationis Boëmicae ad supra dicta beneficia in praefata capella Corporis Christi, simul vel successive, dum et quoties se necessitas ingesserit, ad nos, haeredes, et successores nostros, inclytae domus nostrae Boëmiae reges debeat perpetuis temporibus pertinere. Ad quorum etiam beneficiorum in praefata capella erigendorum ex nunc, seu processu temporis pluraliter vel singulariter

vocatorum, praefati magistri et studentes nationis Boëmicae, ut praefertur, majestati nostrae personas habiles et idoneas ex eis praesentare debebunt, quas etiam de jure patronatus et praesentationis nostrae ad praefata beneficia venerabili archiepiscopo Pragensi, apostolicae sedis legato, principi, seu ipsius in spiritualibus vicariis generalibus, qui nunc sunt, seu pro tempore fuerint, devotis nostris dilectis praesentare debebimus toties, quoties opportunum fuerit, per ipsos ad hujusmodi beneficia instituendas, et prout ad ipsorum spectat officium, nostro nomine confirmandas; committentes etiam et seriosius mandantes nobilibus, vrzednikonibus, et beneficiariis tabularum terrae, et protonotariorum ac vice-notariorum, qui nunc sunt, seu pro tempore fuerint, fidelibus nostris dilectis firmiter et districte, quatenus ipsi magistris et studentibus nationis Bohemicae et capellae praefatis, praedictas centum et decem sexagenas grossorum Pragensium annui et perpetui census, postquam pro beneficiis ecclesiasticis pro ipsis in praefata capella, ut praefertur, de novo erigendi et instaurandi, simul aut successive, in toto vel in parte, in regno nostro Boëmiae, in bonis tamen liberis et non feudalibus comparatae fuerint, tabulis terrae inscribant et assignent toties, quoties opportunum fuerit, et desuper ipsorum nomine fuerint requisiti, prout indignationem nostram gravissimam voluerint arcius evitare. Praesentium sub regiae nostrae majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Mendici anno Domini millesimo quadringentesimo sexto, die octava Octobris, regnorum nostrorum anno Boemiae quadragesimo quarto, Romanorum vero tricesimo primo.

Ad mandatum domini regis
Joannes de Bamberg.

Sigillum regis Wenceslai majus, pensile.

---

# LVII.

Mag. Mathias de Knyn in vincula conjectus, ab archiepiscopo Sbincone pro tribunali sedente citatus, et ad abjurandam haeresin de ss. eucharistiae sacramento invito animo compulsus, rem totam literis publicis die 14. m. Maji a. 1408. consignari, et a tribus notariis fide et auctoritate muniri curat.

In nomine Domini Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo octavo, Indictione prima, die lunae, quae erat quartadecima mensis Maji, hora vesperorum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Gregorii, divina providentia papae duodecimi anno secundo, in sala seu palatio superiori curiae et domus archiepiscopi Pragensis, sitae in minori civitate Pragensi, in nostrorum notariorum publicorum, et testium infra scriptorum praesentia, constitutus personaliter reverendus in Christo pater et dominus Sbinco, archiepiscopus Pragensis, una cum capitulo eccle-

siae Pragensis, et multis magistris et doctoribus ad hoc per dictum dominum archiepiscopum specialiter vocatis, ac magna populi communis multitudine ibidem praesente et astante, ubi sedente dicto domino archiepiscopo pro tribunali, in figura judicii, honorabilis vir, Mathias de Knyn, dictus Pater, mag. in artibus liberalibus universitatis studii Pragensis, per dictum dominum archiepiscopum detentus et captivatus, per eundem ad judicium est productus, et dum super purgatione canonica, et abjuratione haeresis de sacramento altaris cogeretur per praefatum dominum archiepiscopum et compelleretur, ipse magister Mathias petivit sibi fieri interpretationem hujus dictionis: abjurare; asserens, quod non teneretur ad purgationem canonicam, eo, quod nulla contra eum juris infamia sit probata nec deducta; similiter nec ad abjurandum haeresim teneretur de jure, cum in nullo errore, nec in aliqua haeresi sit repertus, et abjurare haeresim, sit, prius tentae haeresi renunciare, ad quod faciendum dictus magister Mathias minime obligaretur, ut asserebat. Ad quod dominus Joannes Kbel, generalis vicarius in spiritualibus dicti domini archiepiscopi respondit, et dixit: Magister Mathia, abjurare cogeris haeresim, quam nunquam tenuisti; dum autem sic fieret disceptatio inter partes et tumultus magnus, dns. archiepiscopus dixit ad praefatum mag. Mathiam una cum suo vicario: Magister, faciatis finem, dimissis verbis et contentionibus; aut faciatis juramenta et abjurationem, aut maneatis

hic in curia nostra. Ipse autem magister metu carceris, et aliarum poenarum et flagitiorum, quae sibi cominabantur per vicarios domini archiepiscopi praedicti et suos familiares, qui metus etiam potest cadere in constantem virum, sic adhuc existens detentus et captivatus purgationem canonicam cum quatuor testibus fecit, et abjurationem personaliter tactis sacrosanctis evangeliis praestitit, protestans publice, et invocans officia notariorum publicorum ibidem praesentium de violentiis, captivationibus, et ceteris injuriis sibi per dominum archiepiscopum praedictum sic illatis, omnia illa ad animum revocando, ac arram domino Dominico, ecclesiae sancti Apollinaris canonico, curiae dicti archiepiscopi et cancellariae notario exhibendo super praemissis conscribendis. Ipse autem archiepiscopus prohibuit eidem, ne arram recipiat, nec idem notarius aliqua instrumenta super protestatis ipsius magistri Mathiae faciat, dicens, quod in ista causa nullus debet advocare, nec notarius aliquis haberi; et cominando dixit: Signetur notarius, et etiam procurator ipsius magistri praenominati, et citetur. De quibus omnibus magister Mathias saepe dictus petivit sibi per nos notarios publicos infra scriptos unum vel plura confici publica instrumenta. Acta sunt haec anno, die, mense, hora, pontificatu, et loco, quibus supra, praesentibus honorabilibus et discretis viris, Clemente de Mnichow, plebano in Wranie, pro tunc rectore almae universitatis studii Pragensis, Jacobo de Sicca, plebano in Hodietitz,

Nicolao de Miliczin, et Procopio de Plzna, magistris artium liberalium dictae universitatis studii Pragensis, et nobili viro Sdislao de Zwierzeticz, et Nicolao de Stoiczin, baccalariis in artibus liberalibus, et aliis quampluribus testibus fide dignis.

Et ego Joannes, natus quondam Conradi de Jessenicz, Pragensis dioecesis publicus auctoritate apostolica notarius, praedictis de captivitate, ad judicium productioni, compulsioni, petitioni, disceptationi, carcerum et poenarum ac metus incussioni, purgationi, protestationi, ad animum injuriarum revocationi, omnibusque aliis et singulis supra scriptis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, unacum praenominatis testibus, et Michaele de Prachaticz, et Gallo de Volina, notariis publicis, collegis meis infra scriptis, praesens interfui, eaque omnia sic fieri vidi et audivi, et arduis occupatus per alium scribi procuravi, me hic manu propria subscribens, publicavi, et in hanc formam publicam praescripta redegi, signo et nomine meis consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

Et ego Michael, natus quondam Nicolai de Prachaticz, Pragensis dioecesis publicus auctoritate imperiali, et dominorum magistrorum, doctorum, et scolarium universitatis studii Pragensis juratus notarius, praescriptis de captivitate, ad judicium productioni, compulsioni, petitioni, disceptationi, poenarum, carceris, minarum incussioni, omnibusque aliis et singulis supra scriptis, dum sic, ut praemit-

titur, fierent et agerentur, unacum praenominatis testibus, et Joanne de Jessenicz supra scripto, et Gallo de Wolina infra scripto, notariis publicis et collegis meis, praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, et per alium scribi feci, meque hic manu propria subscribens publicavi, et in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Et ego Gallus, natus quondam Crucis de Wolina, Pragensis dioecesis publicus auctoritate imperiali notarius, supra scriptis omnibus et singulis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus, et Joanne et Michaele, notariis publicis et collegis meis supra scriptis, praesens interfui, eaque omnia et singula, dum, ut praemittitur, fierent et agerentur, sic fieri vidi et audivi, et occupatus aliis negotiis per alium scribi feci, et me hic manu propria subscribens publicavi, et in hanc formam publicam redegi, signo et nomine meis consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

# LVIII.

Gregorius XII. pont. Rom. (elect. die 2. m. Decembris a. 1406. pontificatu motus a concilio Pisano die 5. m. Junii a. 1409.) literis die 15. m. Maji a. 1408. Lucae datis Sbinconem, archiepiscopum Pragenum fundationem et dotationem capellae Bethlehem auctoritate apostolica confirmare jubet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Venerabili fratri, archiepiscopo Pragensi, salutem et apostolicam benedictionem. Humilibus et honestis supplicum votis, in his praesertim, quae divini cultus augmentum, ac fidei catholicae propagationem conspiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Crucis Institoris, civis Pragensis, petitio continebat, quod olim ipse et quondam Joannes de Mulheim, miles, provide considerantes, quod licet in civitate Pragensi multa loca ecclesiastica existerent pro usu divini cultus ordinata, illa tamen per plurimos alios actus sacros adeo occuparentur, quod nullus locorum eorundem privilegiatus ad praedicationis verbi Dei ministerium ibidem specialiter esset deputatus, sed praedicantes in vulgari Bohemico, quod ibidem usuale sive naturale existit, plerumque per domos et latebras cogerentur divagari, et ut Christi fideles ac habitatores et incolae dictae civitatis ad certum et determinatum locum in eadem civitate

consistentem ad audiendum verbum Dei hujusmodi, sive sermones publicos in festivitatibus et diebus consuetis convenire possent, praefatus civis quandam aream sive certum locum ad hoc congruum et honestum prope parochialem ecclesiam sanctorum Philippi et Jacobi, apostolorum, Pragens. et infra ejus parochiam consistentem, quem idem civis legitime acquisivit, et quem Bethleem nuncupari censuit, pro usu praedicationis verbi Dei hujusmodi pia largitione donavit, ipsique, civis et miles, ibidem quandam capellam in honorem et sub vocabulo Sanctorum Innocentum pro dicti cultus augmento canonice fundari fecerunt, ac de bonis sibi a Deo collatis pro duobus rectoribus ipsius capellae, et praedicatoribus in dicto vulgari, jure patronatus ejusdem capellae, et praesentandi rectores ad eandem sibi suisque haeredibus imperpetuum reservato, competenter dotaverunt, et circa haec nonnulla rationabilia et honesta ordinationes et statuta perpetuis futuris temporibus observanda, ac id etiam bonae memoriae Joannis archiepiscopi Pragens. ac rectoris dictae parochialis ecclesiae, qui tunc erat, accedente consensu fecerunt, prout in authenticis literis inde confectis, archiepiscopi et militis praedictorum sigillis munitis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ipsi fideles illarum partium ad praedictam capellam magnum gerant devotionis affectum, frequensque concursus ipsorum fidelium habeatur ad eandem, pro parte civis praedicti nobis fuit humiliter sup-

plicatum, ut pro ampliori devotione ipsorum fidelium, et ut cultus ipse augeatur et vigeat ferventius in capella memorata, fundationi et dotationi praedictis robur apostolicae confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, fundationem et dotationem praedictas, et quaecunque inde secuta apostolica auctoritate confirmare procures, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; et nihilominus, si hujusmodi confirmationem per te fieri contingat, ut praefertur, rectoribus ipsius capellae et clericis perpetuis beneficiatis, in eadem praesentibus et posteris, ut in praedicta capella missas et alia divina officia diurna pariter et nocturna, etiam ad notam ac solenniter et publice celebrare, absque tamen praejudicio et salvo jure ipsius parochialis ecclesiae, libere et licite valeant, eadem auctoritate licentiam largiaris, fundatione praedicta et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Lucae, Idib. Maji, pontificatus nostri anno secundo.

R^ta^ gratis.
Jo. Asung.

Sigillum plumbeum Pont. Rom. solenne.

# LIX.

Tabula publica, qua Henricus Joannis Penik de Lobenstein, notarius publicus, judicio de libris mag. Joannis de Wiklef a Fr. Thoma de Utino, monasterii praedicatorum Bononiae priore, et s. theologiae professore, e magistrorum et doctorum Bononiensium, Parisiensium et Oxoniensium sententia pronunciato die 25. m. Novembris a. 1410. tribuit fidem.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo decimo, Indictione tertia, die vero Mercurii, quae erat 25. mensis Novembris, hora tertiarum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, dni. Joannis, divina providentia papae vicesimi tertii anno primo, in civitate Bononiensi, in ecclesia seu monasterio sancti Dominici fratrum praedicatorum, in ambitu superiori conventus, in mei, notarii publici infra scripti, testiumque subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesentia, personaliter constitutus honorabilis et scientificus vir Joannes de Jessenicz, artium liberalium magister, baccalarius in decretis, et collegiatus collegii regis Wenceslai in civitate Pragensi, advocans ad se ibidem venerabilem virum, fratrem Thomam de Utino, priorem conventus dicti monasterii, sacrae theologiae professorem, ipsumque cum diligentia studiosa requisivit et petivit, quatenus Dei et veritatis ipsius intuitu, et ad confutandum malitias perversorum vellet dicere et declarare: quomodo et qualiter dni.

magistri et doctores Bononien. Parisien. et Oxonien. studiorum se habuissent, et quae finaliter conclusissent de et pro libris olim bonae memoriae mag. Joannis Wykleff, sacrae theologiae professoris almae universitatis studii Oxoniensis. Qui dominus Thomas, prior praedictus, respondit praedicto magistro sub hac forma verborum: Sciatis certitudinaliter, magister reverende, quod de mense, credo, Augusti anni praesentis de mandato domini nostri papae Joannis XXIII. collegi et convocavi dominos magistros et doctores Bononien., Parisien. et Oxonien. studiorum, quos habere potui, quia tunc eram decanus facultatis theologiae studii Bononien., ad domum reverendissimi patris, domini Oddonis, cardinalis de Columpna, ad tractandum, disponendum, providendum et finaliter concludendum, quid esset faciendum, disponendum, et ordinandum de et super libris mag. Joannis Wikleff ex eo, quia quidam dominus Jaroslaus, episcopus Sareptens., frater de ordine Minorum, et Jacobus, canonicus Pragens. cum magna diligentia apud omnes instabant pro combustione librorum magistri supra scripti. Et ibi quibusdam magistris placuit, quod libri dicti magistri Joannis comburerentur, aliis autem magistris et doctoribus ac majori parti placuit, quod nullo modo deberent comburi. Tandem habito tractatu multiplici ibidem conclusum fuit finaliter per omnes, quod libri dicti magistri Joannis Wikleff nullo modo comburantur; ex eo signanter, quod ex tali combustione

inferretur scandalum et confusio universitati Oxoniensi, cujus dictus mag. Joannes professor sacrae theologiae extitit; etiam in hoc universitas Pragensis confunderetur, et majus schisma in regno Bohemiae generaretur, et etiam absurdum esset et veritati contrarium, quod libri logicales, philosophicales, morales et theologicales dicti mag. Joannis, in quibus multa vera, bona et utilia continentur, a studentibus et scholasticis removerentur, scilicet, quod certi articuli per me de dialogo, trialogo et corpore Christi collecti, qui mihi tunc apparebant erronei, non tamen dico et assero illos erroneos, in regno Boëmiae publicarentur, et quod illos nullus teneret, defenderet vel dogmatisaret, publice mandaretur et inhiberetur, et subjunxit: Ista sunt conclusa in dicta congregatione, et non alia loquatur quisquis hoc, quod voluerit; de quibus omnibus et singulis dictus magister Joannes Jessenicz per me notarium publicum infra scriptum unum seu plura sibi fieri petiit publicum seu publica instrumentum seu instrumenta. Acta sunt haec anno, Indictione, die, mense, hora, pontificatu, et loco, quibus supra; praesentibus honorabilibus et discretis viris dnis. Joanne Nicolai Hasenzagel de Zacz, presbytero Pragensis dioecesis, Thoma Jesconis de Sczrenpino, presbytero Poznoniensis dioecesis, et aliis pluribus fide dignis testibus ad praemissa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Hainricus quondam Joannis dicti Penick de Lobenstain, clericus Nüenburgensis dioe-

cesis, publicus imperiali auctoritate notarius; quia dictis requisitioni et petitioni ac responsioni, omnibusque aliis et singulis supra dictis, dum sic, ut praemittitur, agerentur ac fierent, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, ideoque hoc praesens publicum instrumentum manu mea propria exinde (?) scripsi, et in hanc publicam formam redegi, ipsamque signo et nomine meis solitis consignavi, rogatus, et debite requisitus in fidem et testimonium evidens omnium et singulorum praemissorum.

---

# LX.

Argumentationes e jure communi et privato, nec non e privilegiis depromtae, quibus mag. Blasium Lupus, decanum ecclesiae OO. SS. canonicatum ejusdem ecclesiae injuste retinere evincitur, anno verisimiliter 1410.

Reverende pater et domine gratiose! Pro fundatione jurium honorabilium virorum, praepositi et magistrorum collegii Caroli super praebenda canonicali capellae regiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi, quam nunc honorabilis vir, mag. Lupus, dictae capellae decanus, detinet occupatam, dantur et offeruntur coram V. R. (*vestra Reverentia*) informationes et jura subscripta.

Primo enim dicitur, allegatur et proponitur: quomodo praedictus mag. Lupus dictos canonicatum

et praebendam in capella praedicta minus juste detinuit hucusque, et hodie detinet prae juris ordine occupatos, prout hoc claret manifeste tam ex juris communis dispositione, quam etiam ex privilegiis universitati et collegio praedicto concessis. Disponit enim jus commune, ordinavit et ordinat, ne quis in eadem ecclesia, et nedum in eadem, imo etiam in diversis duo beneficia vel plura, sive sint curam aut non curam animarum habentia, sine speciali licentia papae, vel alias absque consuetudine laudabili et praescripta, habeat, teneat vel possideat, aut quovis modo alias occupet, ut in c. de multa, de praebenda in concilio generali, in c. nonnulli de cler. non resident. et in extravag. Joannes XXII. Et hoc non solum est verum, in ecclesiis vel dignitatibus curam animarum habentibus, ut dictum est, verum est etiam in praebendis canonicalibus, ut legitur et notatur in c. Cum jam duae de praebendis in sua materia, et in c. literas de concessis praebendis, ubi praesens casus in forma habetur; videlicet: quod si quis ex causa electionis vel alia in ecclesia retinet (?) dignitatem, in qua prius habuit praebendam, mox praebenda de jure vacat, et vacare consuevit, nisi ex consuetudine praescripta vel papae licentia aliud appareat. Et concordant XXI. 9. II. Si quis jam translatus sqq. de re judicis l. IIII. §. Si quis ex conventione. . Et sic quam primum mag. Lupus de canonicatu in ecclesia OO. SS. re-

cedit, tam cito praebenda, quam prius habuit, vacavit. Nec obstat, vel obstaret episcopi confirmatio, si petita vel facta fuisset, ut in c. cum nris. de concess. praebend. C. de pac. dotal. l. si inter et XVII. de accursibus.

Item pro vacatione praebendae mag. Lupi per assecutionem decanatus est favor juris, et pro ipsius retentione est odium juris. Cum ergo favor sit ampliandus, et odium restringendum, ut de re juris l. VI. odia restringe: sequitur ergo, quod praeter juris favorem, praebendam cum decanatu in eadem ecclesia possidere non debeat, neque possit. Sed quod pro vacatione praebendae sit favor juris, et pro retentione odium, sic ostenditur. De jure enim communi in eadem ecclesia citra dispensationem episcopi, vel citra praescriptam consuetudinem nullus potest habere duo beneficia, ut legitur et notatur de consue. c. I. lib. VI., ubi etiam de hoc per archid. quum dicit ibidem, quod dupplex nullus potest sine ordine ecclesiae, etiam dispensante episcopo vel consuetudine. Ita etiam notat Innoc. in c. literas de concess. praebend. Sed ita est, quod in ecclesia OO. SS. consuetudo dupplicitatem non induxit, nec dispensatio intercessit. Stabimus ergo juris scripto de rescript. c. ult. lib. VI. de cle. non resident., quia nonnulli cum multis pluribus ...

Praeterea gratiae et jura vel etiam privilegia de beneficiis disponentia strictam et non largam habent interpretationem; de praebenda quavis

lib. VI. quia pluralitas, quae etiam duorum numero non est contenta de re juris pluralitas. lib. VI. Hinc est, quod beneficiatus non censetur plus beneficiari, quia, si papa committit alicui, ut provideat alicui idoneae personae in genere, talis commissarius non potest providere alias habenti beneficium, sed tantum illi, qui nullum habet beneficium, nisi dicatur in commissione, quod possit providere etiam beneficiatae personae. Ita tenet stilus curiae et notatur de offic. deleg. Si tui et de praeb. Si tui nulla . . lib. VI.

Item patet hoc idem ex privilegiis universitatis et ex jure privato, quod praedicta praebenda ecclesiae OO. SS. per assecutionem decanatus vacat et possideri per mag. Lupum praedictum non debeat cum decanatu. In privilegio enim dni. papae Benedicti XII. habetur, et ex eodem colligitur, quod in praedicta ecclesia OO. SS. sint, fuerint, et esse debeant duo praelati, videlicet praepositus et decanus et XI. canonici praebendati, et ita tentum et habitum est ab initio erectionis, dotationis et confirmationis ipsius ecclesiae, et hucusque inviolabiliter observatum per tempora verae et juridicae praescriptionis. Et ex praedicto privilegio colligitur, et manifeste habetur, et sic praedicta capella regia OO. SS. requirit quoad praelaturas et praebendas canonicales XIII personas numero et suppositaliter distinctas, quarum numerus sine speciali licentia papae augeri nec minui debet, ut in c. ex parte II. de constit. et in c.

cum olim de consuetis XXII. di. c. I. de con. di I. vasa de ver. sign. c. ult. ubi dicitur, potius addi cupimus, quam minui. II. q. II. quae ad perpetuam.

Praeterea privilegium principis largissime est interpretandum; et maxime in favoribus, quia censetur beneficium, eo quod bene facit; de dona. Cum dilectus. Sed ita est favor, quod plures habeant consolationem potius, quam unus." Et praesertim hic, quia papa incorporando capellam OO. SS. universitati, dicit, quod XI sive singulae praebendae canonicales debent esse pro mgris legentibus, ecce favor; quia studia literarum magnum favorem habent. Int. de integr. super specula de cler. tum ex eo lib. VI.

Praeterea ex quo XI canonicales praebendae juxta indultum apostolicum debeant esse singulorum mgrorum lecturis incumbentium, et lectura non potest fieri per alium ex eo, quod industria persona est electa de off. deleg. c. ult. de re juris potest quis lib. VI. de pen. di. 1. quod poenitet. Et decanatus iste requirit praecisam residentiam personaliter. Sequitur, quod decanus in dicta ecclesia praebendam canonicalem habere non potest.

Item hoc idem, quod jam de jure communi et ex privilegiis declaratum est, videlicet quod mag. Lupus decanus praebendam canonicalem habere non debeat, declaratur et ostenditur fuisse de intentione felicis memoriae sereniss. principis

et dni. dni. Caroli, qui ob hoc ascensum de suo praedicto collegio Caroli ad ipsam capellam regiam OO. SS. auctoritate papae fieri disposuit et procuravit, prout hoc ex privilegio dni. papae desuper confecto colligitur manifeste. Quis enim dubitabit, quin magis de intentione principis fuerit, numerum mgrorum et laborantium in universitate augeri, quam minui, qui tamen minueretur, si decanus ibidem haberet et habere deberet praebendam annexam. Et quaestio, quae jam movetur quoad praebendam respectu assecutionis decanatus, hodie vel cras haberi posset et oriri ex assecutione praepositurae, si dns. rex eandem praepostituram et dignitatem alicui mgrorum habenti praebendam in eadem capella OO. SS. conferret; et ita numerus mgrorum supradictus quoad capellam OO. SS. minueretur in duabus personis, quoad collegium OO. SS. et per consequens in duabus quoad collegium Caroli, quod utique jus non concessit, nec de mente principum fuit. Nec obstat, quod per eundem mag. Lupum dicitur contra jus commune et privatum, imo contra mentem fundatoris, quomodo ibidem sint XI canonici praebendati, se ipsum bis nominando, et duae praelaturae. A simili enim sex praebendas sibi usurpare posset propria auctoritate, se ipsum sexies repetendo; et ita numerus mgrorum tam quoad capellam praedictam, quam quoad collegia, videlicet OO. SS. et Caroli, juxta ipsius voluntatem augeret et diminueret, ad quantum vellet; in quo tamen nondum recepit potestatem.

Item canonicatus et praebenda requirit laborem et residentiam in universitate, videlicet in collegio OO. SS.; decanatus autem requirit residentiam in castro Pragensi, et circa ipsam saepe dictam capellam OO. SS. et sic juxta diversa officia sunt et debent esse beneficia diversis personis suppositaliter distinctis attributa. ut ff. de offic. pastor. lib. ult. nisi consuetudine vel de licentia principis aliud esset superinductum.

Item ista copula . et . copulat diversa ut ff. de verb. sig. lib. IIII. Ergo allegare et dicere XI esse canonicos et duos praelatos, eundem repetendo, est de facto et in facto ridiculose errare contra jura.

Item qui taliter allegant, jus commune non respiciunt et perpendunt, sed magis privatum, quod corrigitur. VII. q. V. Si privatum.

Ex praemissis ergo, cum praedictus mag. Lupus canonicatum et praebendam cum decanatu nec jure communi, nec privato, nec de mente principum et fundatorum possidere possit et debeat, petunt praedicti praepositus et mgri de collegio Caroli, quatenus inspectis Deo et justitia et privilegiis dignetur pater reverendus pronunciare et declarare, et praedicto mag. Lupo perpetuum silentium imponere, nullum jus sibi competiisse, nec competere ad dictos canonicatum et praebendam; salvis tamen juribus aliis et informationibus p. v., si opus fuerit insuper et de novo offerendis.

## Nova replicatio collegii contra mag. Lupum. (alio calamo.)

Reverende pater et domine gratiose! Juris allegationes, privilegia, et consuetudines, quae alias p. v. nomine praepositi et mgrorum de collegio Caroli pro informatione super canonicali praebenda collegii OO. SS. quam honorabilis vir, mag. Lupus, decanus ibidem , detinet occupatam, oblata, exhibita et allegata fuerunt, praedicti praepositus et mgri nunc et in quolibet actu futuro, si opus fuerit, eadem repetunt, exhibent et allegant pro repetitis, exhibitis et allegatis habent et habere volunt.

Primo enim pars adversa contra jura, privilegia, et allegata pro parte praepositi et mgrorum praedictorum volens fundare suam intentionem et probare, quomodo quis duo beneficia sine speciali licentia et dispensatione papae juste, sancte, et legitime possidere et tenere valeat in eadem vel in diversis ecclesiis, et replicando contra praedicta sic arguit: Aliquis potest dignitatem et aliam praebendam, cui annexum est beneficium curatum, in eadem ecclesia tenere et possidere, ut in glo. c. in cle. Si juxta numeri de praebend. et dig. Ergo a multo fortiori dignitatem et praebendam. Et confirmat idem per dicta Inno. super c. literas de concess. praebend. Ad quae breviter respondetur et dicitur, quod sive

sit dignitas et praebenda, cui beneficium curatum est annexum, sive sit dignitas et praebenda, cui beneficium curatum non est annexum, tam in diversis ecclesiis, quam in eadem, quis tenere et possidere non debet, nisi ex speciali licentia et indulto papae tacito vel expresso, et hoc est etiam de mente glo. et Inno., qui licet dicant, quod quis duo beneficia in eadem vel in diversis ecclesiis possidere valeat et possit, non tamen negant, quin hoc fieri debeat ex indultu papae et de ipsius licentia tacita vel expressa, de expressa, quae ex bullis vel litteris papalibus traditur, tacita, quae fit circa patronos laicos, quibus praejudicare non vult, ut eos ab erectione beneficiorum et fundatione non retrahat. Et eadem licentia vel dispensatio tacita invenitur circa ecclesiarum consuetudines de indultu tamen papae, in quibus saepe beneficia ex certis causis inveniuntur connexa. Et ita pluralitas beneficiorum, tam quoad curatum similiter ut in c. de multa, quam quoad unum curatum et aliud non curatum, sive requirant residentiam, sive non etc. sine indulto et dispensatione papae prohibita est.

Secundo pars adversa pro intentione sua allegat, et dicit esse juris communia, quae causa brevitatis allegare obmisit, quod non creditur esse verum, imo jus commune magis est contra partem adversam, quam pro ea. Et si tale jus esset, utique pars adversa absque taedio illud allegasset,

sicut multa jura, licet pro ea nihil faciant, allegavit specialia.

Item pars adversa pro se adducit et allegat consuetudinem, experientiam et stylum curiae. Primo enim dicit, quod ex consuetudine, si quis habet gratiam exspectatoriam ad beneficia curata et non curata, seu etiam dignitates, quod si vigore gratiae exspectatoriae quis percipit praebendam, quod adhuc vigore ejusdem gratiae percipere potest postea dignitatem; quod non est verum, nec cancellaria tenet, sine licentia papae et ejusdem concessione gratiosa cum clausula simul vel successive vacant vel vacatur, ut dicit regula, quam clausulam, si quis in petendo non exprimit, tantum alterum, et non ambo obtinet: et ita consuetudo curiae, quam allegat, non facit pro parte adversa.

Item pars adversa pro se adducit experientiam in venerabilibus viris: mag. Francisco Beneschau, mag. Petro Wscherub Przibicone, qui habuerunt in eadem ecclesia praebendam cum dignitate. Quod verum est, sed sub dispensatione et juxta modum regularem cancellariae et ipsius dispensatione circa pluralitatem beneficiorum, ut ex bullis eorundem quivis colligere posset. Et ergo experientia, quam pars adversa allegat, magis est contra eam, quam pro ea.

Item pars adversa allegat pro se I n n o. in c. c u m j a m d u d u m d e p r a e b e n d. e t d i g n i t. et assumit a r g. c a n o n i s VIII. q. 1. In

scripturis praesumens de se, et mendicans pluralitatem beneficiorum; praesumit enim de se ex allegatis per eam, quod melius valeat et possit regere duo, quam unus alius, ne forte tantum valens unum; non ergo Dei voluntatem, sed propriam, juxta verba canon. respiciens, oneri plurium beneficiorum absque dispensatione se submittit. Sed si Dei voluntatem respiceret, et non proprium honorem, sed unus beneficiorum simplicitatem et non pluralitatem absque dispensatione mendicaret. Et sic ea, quae pars adversa pro se allegat, magis cum humilitate ex summa canon. contra se allegare deberet; praesertim ex eo, cum jam in ecclesia Dei, ubi nunciatus est rector beneficii sufficiens et idoneus unus, ibi plures inveniuntur petentes, ut cottidie docet experientia.

Item pars adversa arguit a simili; sed verisimiliter multum a dissimili. Arguit sic: Laicus conferens uni ecclesiam, qui alias habet gratiam exspectationis ad eandem de canonicatu sub exspectatione praebendae, posito, quod in eadem sint de provisione speciali; talis enim habens ecclesiam, in eadem potest percipere canonicatum et praebendam vigore gratiae exspectationis. Quod verum est, sed non sine dispensatione papae tacita vel expressa; expressa quoad bullas gratiosas, tacita quoad favorem laici patroni, ne ab erectione beneficiorum retrahatur, ut dictum est supra. Alio modo respondetur, quod casus partis adversae non est similis casui nostro, qui in forma tractatur. per c.

literas de concess. praebend., ubi dicitur, quod si quis ex electione in aliqua ecclesia percipit dignitatem, in qua prius habuit praebendam, quod mox vacat praebenda, nisi licentia papae aut consuetudo interveniat.

Item arguit pars adversa, et pro se adducit alia tria motiva, quae pro ea nihil faciunt, nec aliquid probant. Primum, quia si vacaret praebenda ex assecutione decanatus, vel hoc esset ratione incompossibilitatis vel ratione pluralitatis. Ad quod breviter dicitur, quod ratione pluralitatis in eadem ecclesia et sine licentia papae. Nec excusat partem adversam glo. c. literas de concess. praebend. et aliorum secundum Inno., per quam pars adversa dicit, quod c. literas et alia jura loquantur ad forum conscientiae et secundum antiqua jura: nihilominus enim adhuc pluralitas beneficiorum non admittitur sine dispensatione, imo et propter conscientiam adinventa est dispensatio secundum jura nova, et secundum mentem omnium doctorum, et specialiter curiae experientiam, a qua omni die proveniunt bullae et gratiae.

Secundo arguit sic: Posito et non concesso, quod vacet vel vacasset praebenda per assecutionem decanatus juxta mentem c. literas de concess. praebend. et pars adversa allegat hoc; cur non probat mihi, a sede non esse indultum habere plura beneficia in eadem vel in diversis ecclesiis? — Respondetur et dicitur, quod negativam probare pars actrix non indiget. Sed si pars adversa habet in-

dulgentiam a sede, quod possit plura beneficia in eadem vel diversis ecclesiis tenere, ostendat illam, et salvabitur.

Item tertio pars adversa allegat, quomodo citationem affixit januis, citans omnes, quorum interest, vel qui sua credunt interesse, ad dicendum causam vel causas, quare ad decanatum non debeat confirmari, ad quam pars actrix praepositus et mgri de collegio Caroli venire et causas allegare non curaverunt. Et ex hoc a jure suo recesserunt. Ibi dicitur, quod mgrorum non intererat quoad confirmationem decanatus, sed quam cito confirmatus fuit, praebenda vacabat. (Id alio calamo appositum.)

Ex praemissis ergo, pater reverende, concludimus, praedicto mag. Lupo, parti adversae perpetuum silentium supra dictis, canonicatu et praebenda fore et esse imponendum, juribus, allegationibus, excusationibus, et quibusvis aliis coloribus in contrarium allegatis non obstantibus.

Ad jura, allegationes, consuetudines et privilegia pro parte praepositi et mgrorum de collegio Caroli allegata et oblata pars adversa respondet et dicit: Et primo ad jura, videlicet ad c. de multa et praebend. ad c. Nonnulli, et ad c. Jam dudum, quod illa non faciunt aliquod, nec sint contra eam. Cum loquantur de beneficiis aut curatis, tum, ut in c. de multa, aut de beneficiis residentiam requirentibus, ut c. Nonnulli, aut de pluralitate beneficiorum ratione ambitionis et vitii, quod verum est. Nec fuerunt ad illam in-

tentionem allegata. Sed ad probandam istam veritatem, quod nulli licet, nec licuit habere plura beneficia sine dispensatione, quia est contra dispositionem juris communis, ut sufficienter apparet ex superius allegatis.

Item pars adversa respondet ad c. literas de concess. praebend. et c. sctorum. LXX. d., et ad c. singula LXXXIX. d. et dicit, quod loquantur secundum antiqua tempora et cursus antiquos secundum Inno. et alios; sed quod jura nova aliquando jam dissonant et disposuerunt super beneficiorum pluralitate. Ibi respondetur et dicitur, quodsi ita esset, quod adhuc nova jura nullibi admittunt pluralitatem sine dispensatione, imo eam praesupponunt juxta mores et consuetudines cancellariae Romanae curiae, a qua omnia talia cum literis et bullis procedunt. Nec obstat glo. canonis XXI. q. 1. c. cleric., quae praesupponunt moderno tempore dispensationem super pluralitate, sive talis pluralitas sit ex compatibilibus vel ex incompatibilibus, curatis et non curatis, residentiam vel non residentiam requirentibus, ut in supra allegatis.